C. IV. 114

Digitized by Google

DE INFINITA
PERFECTIONE DEI
OPUS METAPHYSICUM
ADVERSUS PLURES RECENTIUM PLURIUM
PHILOSOPHORUM, PRAECIPUE CHRISTIANAE
RELIGIONIS HOSTIUM,
ERRORES

AB ALOYSIO BRENNA

CONSCRIPTUM

AD ILL. D. COMITEM

ORLANDUM MALAVOLTIUM
DEL-BENINO
EQUITEM D. STEPHANI, CUBICULARIUM
MM. H. RR. et A. et R. C.
MAG. ETR. DUCIS &c. &c. &c.

FLORENTIAE A. D. MDCCLXXIV.
Typis Joannis Baptiſtae Stecchi, et Antonii Joſephi Pagani
Superiorum permiſſu,

Digitized by Google

COMITI
ORLANDO MALAVOLTIO DEL-BENINO
EQUITI D. STEPHANI

CUBICULARIO MM. II. RR. A. et R. C. M. E. D.

ALOYSIUS BRENNA S. P. D.

Librum de Infinita Perfectione Dei poſtremis hiſce menſibus a me litteris mandatum an inſcribere deberem nomini tuo, ORLANDE COMES ornatiſſime, non ſane diu multumque dubitavi.

tavi. Eum enim in clientelam ipſe tuam nondum typis editum ita receperas, ut is profecto, ſi ſenſus haberet, ſeque cognoſceret, non alterius in poteſtate quam in tua perpetuo manere vellet. Quo quidem patrocinio dignitatem illi, quam ab auctore ac parente ſuo nanciſci non poterat, ac non leve decus addidiſti. Non haec eo ſpectat oratio, ut paterni tui generis atque materni ſplendorem commemorem, illuſtriaque facinora, quibus majores tui vel Florentiae vel Senis tantam gloriam ſunt conſecuti, quantam conſequi paucis qualibet aetate contigit. Iſta equidem in viris nobilitate inſignibus laudare ſoleo; ita tamen, ut cum Platone intelligam, ſi fere ſola ſint in iisdem laudanda, dedecori potius quam laudi eſſe futura. Illud me maxime movet, ut non levem libro meo gloriam patrocinio tuo comparari putem, quod nemo fere ſit nobiles inter viros te litteris excultior, nemo fere germanae ſapientiae doctrinaeque laude praeſtantior. Non me quidem latet, hujuſmodi ſermonibus offendi potius modeſtiam magnorum hominum, quam animum auctoribus conciliari. Et id quidem, ut egregie noſti,

tum

Digitized by Google

tum ex eo contingit, quod virtus ipſa ſibi ſit praemium, neque ullis unquam humanarum laudum lenociniis indigeat, tum ex eo quod adulatorum vocibus homines magno loco natos efferentibus, etſi loco interdum videantur indigni, plena omnia atque referta ſunt. Sed neque ſi virtus ipſa ſibi ſit praemium, idcirco minus eam vereri ac ſuſpicere, quin et aliis ut ſuſpiciant auctores eſſe debemus, neque corruptis homines moribus atque nefariis debent unquam efficere, ut officio deeſſe caeteri videantur. Quamobrem judicium de te meum, quin et omnium, qui penitus te noverunt, non ita aſpernari debes, ut hujuſmodi voces in aures tuas irrepere nullo modo patiaris. Mihi quidem eo magis libet virtutem laudare tuam, frequentibuſque celebrare ſermonibus, quod mirifica quidem ſpecies ejus ac pulchritudo ex partibus profecto multis, adeoque omnibus exiſtat. Non enim in te, quod in aliis non raro carpimus aut dolemus, a doctrina diſjuncta eſt ſumma comitas, et urbanitas, caeteraeque dotes, quae vitam hominum faſtidio levant, atque ut aliis alii non modo utiles,

utiles, ſed et grati atque jucundi ſint perpetuo efficiunt. Quantae porro in te ſint iſtae virtutes, ille tantum ignorat, cui numquam tua familiaritate, ac ſuaviſſima conſuetudine frui contigerit. Illae vero majores virtutes animi, quarum multo uberior, multoque magis neceſſarius exiſtit uſus, quantae in te ſint et quales, illum tantummodo latet, cui parum admodum haeć cognita ſit ampliſſima civitas, et quid in ea nobiles viri agant, quo ſpectent eorum ſtudia, non ſatis animadverterit. Hujuſmodi ſunt mira quaedam dexteritas atque prudentia in conficiendis negotiis, nec non animi vere nobilis mira quaedam excelſitas ac magnitudo, quae tum ab ambitione abeſt plurimum, tum a ſuperbia, tum a caeteris cupiditatibus, quibus etiam hominum, qui magni vulgo putantur, mentes haud mediocriter commoventur. Nihil hic de Liberalitate tua, nihil de favore in optimas quaſque facultates, tum quae ſapientum hominum ſcientia, tum quae peritorum liberalibus continentur artibus, me attinet dicere. Jam enim hanc epiſtolam obſervantiae meae teſtem, ac, ſit verbo venia,

Digitized by Google

nia, etiam amoris, longiorem tibi videri, quam ut ferri poſſit, exiſtimo. Ita enim es tum natura, tum moribus comparatus, ut a nulla re magis, quam a Themiſtoclis mente laudes tantopere optantis, abeſſe videaris. Ille quidem nullum acroama, nullius vocem ſibi gratiorem accidere, quam ejus, a quo ſua virtus optime celebraretur, ingenue faſſus eſt. Tu vero aut ſtomachum vix tenere poſſe videris, aut certe rem totam in riſum jocumque convertis, ſi quando te laudandum ſuſcipiat quiſpiam, aut aliqua obſequii ſignificatione conciliandum. Et id quidem nuper etiam cognoſcere potui, cum de hoc libro, qui tuus multis ex rationibus jam dicendus erat, tibi dicando agere tecum inſtitui. Quod ſi tandem aliquando, ut, quod magnopere optabam, mihi perficere liceret, non abnuiſti, magis id ex facilitate contigit, ac bonitate, quam ex animi ſententia tui. Mihi tamen hac in re non tam voluntati tuae morem gerendum, quam quod ego tibi deberem exolvendum eſſe ſum arbitratus. Accipe igitur tenue munus, at non ex tenui profectum grati animi deſiderio.

Illud

Digitized by Google

Illud enim mihi eſt in votis, ut me tibi addictiſſimum et eſſe, et videri perpetuo velle, tum ipſe, quamquam id pro tua ſingulari judicandi prudentia jam animadverteras, tum caeteri omnes agnoſcant. Cura ut valeas. Dabam Florentiae IV. Id. Jul. an. 1774.

Digitized by Google

DE INFINITA PERFECTIONE DEI

OPUS METAPHYSICUM.

CAPUT I.

Quanti referat peculiarem de Infinita Dei Perfectione inſtituere tractationem oſtenditur, et quid eo nomine veniat explicatur.

CUM in ea Scientia, quae Metaphyſica dicitur, plurimae de maximis rebus eaedemque graviſſimae controverſiae recentiores inter Philoſophos agitentur, tum nulla meo quidem occurrit animo, quae cum ea, quam hoc libro, contra nefarios Divinitatis hoſtes, explicandam, ſolvendamque ſuſcepimus, poſſit ulla ratione comparari. Etenim de Infinita Dei Perfectione (1) acturi ſumus, quae ſi vide-

(1) Vir doctiſſimus Hugo Grotius vocem hanc minus latinam habere viſus eſt, cum illa ſcripſit (*De Ver. Rel. Chriſt. L. I. p. m. 11.*) „ *Omne id, quod perfectionis nomine intelligi ſolet (utamur nunc ſane hoc vocabulo, quando aliud Latina Lingua non ſuppeditat, Graecum eſt τελειότης) in Deo eſſe, hinc intelligitur ec.* „ Verum hac in re certe fallitur. Saepius enim Cicero vocem eam hac ipſa ratione uſurpavit; ut *Lib. IV. de finibus* „ *Sic igitur in homine perfectio iſta in eo potiſſimum, quod eſt optimum, id eſt in virtute, laudatur* „.

Digitized by Google

licet idoneis argumentis aſſeratur, vix error eſt in Scientiae de Deo naturalis faciem inductus, quin facile diſſipetur: ſin autem ea cauſa oſcitanter a nobis, aut negligenter agatur, verendum eſt, ne parum de ſumma Religionis, atque pietatis, parum de ipſius Divinitatis honore ſolliciti eſſe videamur.

Plurimi quidem, aut plerique fortaſse Philoſophi, cum ea vertitur quaeſtio, nimium quantum in ipſa cauſae bonitate confidunt, et vix argumentis in re tam evidenti atque perſpicua utendum eſſe arbitrantur. Sane, cum viri doctrinae laude praeſtantes, ubi laudes Dei Opt. Max. perſequuntur, nihil aut magnificentius, aut gravius dicere ſoleant, aut poſſint, quam neque virtutem, neque felicitatem, neque perfectionem tanto nomine dignam ejus aeternae deeſſe immortalique naturae, tum nihil eſt, quod caeteri homines neque litteris, neque liberalibus exculti diſciplinis, ipſa quodammodo monente ratione, aut facilius agnoſcere, aut libentius concedere conſueverint. Quamobrem aſſenſu fere omnium illa ſcripſit Auguſtinus (1) = *Cum cogitatur Deus, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius ſit, atque ſublimius* = Sed quamvis ita ſeſe res habeat, accuratius tamen a nobis iſtam de ſumma Dei Perfectione controverſiam tractandam eſſe decrevimus.

Neque enim hac aetate deſunt impii quidam homines, atque nefarii, qui non modo Chriſtia-

nae

(1) *Lib. I. de Doctr. Chriſt. C. 7.*

nae Religionis ruinam moliri, ſed et ipſi palam Divinitati bellum inferre non dubitent. Iſti autem, cum libros de Religione ſcribunt (ſcribunt autem multo ſaepius quam neceſſe fuerat) eo videntur oratione ferri, ut, quae Philoſophi pietatis, religioniſque cultores magnificentiſſimis profecto verbis de omnium optima natura praedicant, ad arbitrium potius conficta, quam ad rectae rationis normam exacta, eſſe demonſtrent. Qui non objurgandi modo, ſed etiam convincendi ſunt, ne forte animis imperitorum tam abſurda fucum faciat oratio.

Deinde ad ipſius Metaphyſicae dignitatem ac decus pertinere putavimus, ut, cum de naturis corporea mole carentibus hac aetate accuratius agat, atque ſublimius, etiam in earum rerum, aut proprietatum, quae conveniant in optimam, praeſtantiſſimamque naturam, diligentius, quam aliis quibusdam aetatibus factum fuerit, inveſtigatione verſetur.

Verum, antequam argumenta illuſtro, quae prae reliquis omnibus infinitam Dei Perfectionem oſtendere mihi videntur, breviter conſtituendum eſt, quid et quale ſit, quod quaerimus, ut ratione et via procedat oratio. Quaerimus igitur, an Deus, quem confuſa quadam ratione, quatenus eſt prima rerum cauſa non carens intelligentia, jam exiſtere, ac neceſſario quidem exiſtere, cognovimus, ſit infinite perfectus. Hoc eſt, quaerere, an Bonis, quae Naturae Divinae ſunt vel maxime

propria, ſines ulli quacumque tandem ratione conſtituti ſint. Homo enim (idem de alia re qualibet a Deo diſtincta dicendum eſt) nonnulla quidem bona, nonnullaſque virtutes ipſa natura ſua complectitur. Quis tamen homo eſt, qui plane non videat, planeque non ſentiat, quam exiguis ea omnia limitibus coerceantur? Nam et multa nos non intelligere quotidie querimur, et a multis excidere, et permulta non poſſe, quae vel maxime cupimus. Ut paucis omnia comprehendam, noſtrarum virium imbecillitatem, ac bonorum tenuitatem ita ſentimus, ut nihil melius, quam, quid ſit finiri, quid non eſſe omni ex parte perfectum, animo complectamur. Quaerimus igitur, utrum hoc in Deo locum habere queat, an potius ejusdem natura tam perfecta ſit, ut numquam affirmare liceat: hoc quidem Divinae naturae ineſſe, at illud deeſſe Bonum; ſeu, quod eodem redit, Dei virtutem ac bonitatem hos quidem habere, aut illos perfectionis gradus, ac modos, non autem alios, et alios, quos per infinitum tempus, etſi nihil aliud ageres, numerare, vel fingere animo, poſſes. Hac igitur ratione Deum eſſe infinite perfectum ſentimus, idque jam oſtendemus, ubi pauca primum de Potentia ipſius, pauca etiam de Sapientia diſputaverimus.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Potentia, et Sapientia Dei agitur, quae in creatis rebus elucent, et contrariae quaedam ex Epicuri doctrina petitae ratiunculae convelluntur.

PRimo quidem eſſe maximam Deo Potentiam, atque Sapientiam eaedem rationes efficiunt, quae primam eſſe rerum cauſam intelligentia praeditam aperte declarant; de quibus profecto rationibus ſi fuſius hoc loco velimus agere, verendum eſt, ne ſaepius actum, quod veteri proverbio prohibemur, agere videamur. Illud tamen profiteri debemus; rationem, quae petitur ex ordine mundi, atque ornatu, mirificaque tot rerum, atque tantarum, varietate, ac pulchritudine, nobis maxime aptam, atque appoſitam inter omnes videri, ad id, quod volumus, declarandum.

Nam ſi cum hominibus agimus, qui ſedulam Philoſophiae navaverint operam, ea maximi apud illos momenti eſſe putabimus, quae gravis auctor in primis hujus aetatis Antonius Genuenſis ornatiſſimis verbis perſecutus eſt * *Nullum eſſe, ait, in rerum univerſitate caſum, nihil fortuitum, nihil perturbatum, cum naturae ipſius contemplatio, tum perſpicuae rationes demonſtrant.... In tellure aër, aqua, terrae, argillae, arenae genera omnia, herbae praeterea, et plantae,* bra-

brutorum etiam ſpecies omnes, non majora tantum, ſed minima quoque conſiderata, ac ad rationis lancem appenſa ſunt. Vel exiguae earum partes microſcopiis in examen adductae; omnia mira harmonia eſſe conſtructa compertum eſt; nullam eſſe in tantis corporibus particulam, quae non ad rationis, et conſilii artem ſit facta. Deinde, cum in iis, quae detegere potuimus, nihil huc uſque extra ordinis regulas poſitum deprehendere potuerimus: iſque ordo nec ullo unquam tempore, nec locorum varietate nutaverit, magnae profecto eſſet dementiae ea, quae minus comprehendimus, velut caſu jacta aut inconſiderate poſita accuſare. Ex ſyſtematis Planetarii ordine, ejuſque ordinis legibus a Nevvtono enucleatis conſtat, nihil in tanta magnorum corporum congerie ſine ſumma ſtare ratione; magna haec corpora motus ſuos peragere juxta aeternas Geometriae proportiones, idque tanta conſtantia, ut nihil in tanta temporis antiquitate luxatum ſit, nihil unquam a regula exorbitaverit. Analogiae ratio exigit, ut nihil aliud de hac tota mundana extenſione teneamus. Quando ergo in magnis hujuſmodi machinis nihil eſt non ex regula, et ratione, neceſſe eſt, ut ne in prima quidem coagmentatione ſimplicium, ac primigenearum Univerſi ſubſtantiarum quidquam ſit, quod non conſtantem ac certam normam ſequatur. Quod ſi ſenſus naturae ſubtilitati pares atque aptos haberemus, ut in paulo grandioribus naturae machi-

chinis, ita in minimis illis, et occultis ſeriebus nihil non ſapientiſſime conſtitutum facile oculis videre liceret = Haec omnia ſapienter a Genuenſi animadverſa, quin et alia permulta, quibus egregii noſtrorum temporum philoſophi libros compleverunt magno ingenio magna eruditione elaboratos, quid ille poſſit, qui brutae materiae particulas infinitas, easdemque inertes et condidit (neque enim alia cauſa erat, niſi divina virtus, a qua conderentur) et conditas tam varios atque tam certos ad uſus coagmentavit, atque diſpoſuit; quid ille ſapiat, qui tam praeclarum in ipſas induxit ordinem, ex quo mirabilis haec tantarum rerum univerſitas exiſteret, doctis et acutis quibuſque hominibus perſpicua ratione patefaciunt.

Sin vero, etiam remota ſubtilitate diſputandi, pulchritudinem contemplemur earum rerum, quas vel ipſa ſub Luna divina Providentia conſtitutas putamus, vix erit aliquis etiam e vulgo, quin ſe magnopere ſpectaculo moveri dicat, quo nihil ad ſpeciem admirabilius, nihil melius ad uſum hominum fingere animo poſſit. Quemvis profecto, modo non fuerit inter homines truncus, illa movebunt, quae M. Tullius in ſecundo de Natura Deorum tanta orationis ubertate propoſuit. = *Ac principio*, inquit, *terra univerſa cernatur locata in media ſede mundi, ſolida, et globoſa, et undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus; quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili va-*

rie-

rietate diſtinguitur'. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, immenſitateſque camporum; Adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quae vero, et quam varia genera beſtiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapſus, atque cantus? qui pecudum paſtus? quae vita ſilveſtrium? Quid jam de hominum genere dicam, qui quaſi cultores terrae conſtituti non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari, quorumque operibus agri, inſulae, littoraque collucent diſtincta tectis, et urbibus? Quae ſi ut animis ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris eſt pulchritudo! quae ſpecies univerſi! quae multitudo et varietas inſularum! quae amoenitates orarum, ac littorum! quot genera quamque diſparia partim ſubmerſarum, partim fluitantium, et innantium belluarum, partim ad ſaxa nativis teſtis inhaerentium! Ipſum autem mare ſic terram appetens littoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exin mari finitimus aer die, et nocte diſtinguitur, iſque tum fuſus et extenuatus ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc, et illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum, et calorum facit varietates; idemque

et vo-

et volatus alitum ſuſtinet, et ſpiritus ductus alit, et ſuſtentat animantes = caeteraque graviſſime.

Haec, inquam, aliaque innumerabilia ſi quis diligentius animo verſet, doctrinam Epicureorum non ridere non poterit, his etiam temporibus a perditis quibusdam ac flagitioſis hominibus adamatam = *Nos beatam vitam* (ita eam doctrinam Vellejus Epicureus apud Ciceronem explicat) *in animi ſecuritate, et in omnium vacatione munerum ponimus. Docuit enim nos idem qui coetera* (Epicurus) *natura effectum eſſe mundum, nihil opus fuiſſe fabrica, tamque eam rem eſſe facilem, quam vos effici negatis ſine divina poſſe ſolertia, ut innumerabiles natura mundos effectura ſit, efficiat, effecerit. Quod quia quemadmodum natura efficere ſine aliqua mente poſſit non videtis, ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non poteſtis, confugitis ad Deum, cujus operam profecto non deſideraretis, ſi immenſam, et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis, in quam ſe injiciens animus et intendens ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua poſſit inſiſtere. In hac igitur immenſitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quae interjecto inani cohaereſcunt tamen inter ſe, et aliae alias apprehendentes continuantur: ex quo efficiuntur eae rerum formae et figurae, quas vos effici poſſe ſine follibus et incudibus non putatis* = Ea cum

dicerent Epicurei, caſu, non autem potentia ſapientiaque ſupremi artificis eſſe mundum efformatum opinabantur.

Quid? qui ita cenſes, atomos ipſas a quo primum editas motuque concuſſas ponis? Deus profecto ſit aliquis, oportet, cui tantis diffuſa ſpatiis innumerabilium prorſus atomorum vis, unde coelum, ac terrae, mariaque, paruerit. An conſtituis atomos minime genitas, ut Democrito placuit, minimeque productas? Nihil igitur eis poterit virtutis ac bonitatis deeſſe, quae, cum perfectiſſimo potiantur exiſtendi modo, rebus a ſe compoſitis id impertiuntur, ut exiſtant; quod eſt virtutis, ac bonitatis omnis, et perfectionis principium, et radix. Ita fit, ut, qui unum renuebas agnoſcere Deum, innumerabiles inducere videaris.

Illud autem tute non vides, atomos illas, ut caſu quodam convenientes tantam hanc varietatem rerum efformarent, motibus non quidem iisdem omnes, at longe inter ſe lateque diverſis, antea per inane, quod fingis, ſpatium circumferri debuiſſe? Atqui, non modo quae ſentimus corpora omnia, ſed atomi quaecumque, fatentibus Epicureis, natura centrum aliquod commune petunt. Quare ad illud recta, niſi alia cauſa declinare cogat, linea feruntur. Turpiſſimum enim eſset Phyſico dicere, quod phyſicae rationis ignarus dixit Epicurus, atomos illas nulla mente praeditas a rectilineo curſu ſine ulla cauſa innumerabiles defle-

flexiſſe. Quamobrem habemus jam, neque ſolas atomos, neque atomos ipſas motu concuſſas, verum et cauſam aliam, quae motus atomis varios, atque hinc non ab ipſa illarum natura ortos, indiderit, conſtitutionis omnium rerum eſſe agnoſcendam. Et eam quidem Cauſam, cum quaſi provincias atomis dederit, quae rectae, quae obliquae, quae velocius, aut tardius, quae tot diverſis rationibus ferri deberent, omnino liberam intelligi convenit, ſi ſufficientem aliquam ejus varietatis rationem eſſe concedimus; ex quo facile ſequi nemo non videt, ut et Sapiens, et Potens, et Provida ſit exiſtimanda.

At amice cum Epicureis ac liberaliter agamus: quandoquidem tot nobis hac in re ſuppetunt argumenta, ut non tam ſcribendi ratio nobis habenda ſit, quam multa omittendi. Haec igitur, aliaque ſilentio praetereantur, quae cum veteres tum recentiores Philoſophi contra Epicureorum amentiam copioſe diſputant. Unum eſt, quod, ſummi artificis mundum hunc opus eſſe, qui conficere non ſentiat, hunc ego nihil omnino ſenſurum eſſe pronuncio.. Videlicet nulla Cauſa non ſummopère viribus atque conſilio potens proportionem cum iis effectibus habitura eſt, quorum pulcherrimae admirabileſque rationes quam apte ſuos referantur ad fines nullo unquam conſilio humana mens aſſequi poſſit. Haud equidem hoc loco ſum probaturus, nullum prorſus effectum, qui mentem atque conſilium praeferre vi-

 dea-

deatur, caſu (loquamur hic potius cum hominum vulgo, quam cum Philoſophis, qui nihil revera caſu contingere definiunt) in lucem prodire poſſe. Quod quidem veluti portenti genus quoddam habendum eſſet. Sane Plutarchus de ſpuma equi a Pictore, qui neſciverat arte ſua ipſam exprimere, pennicillos in tabulam projiciente fortuito habita = *Hoc unum*, inquit, *fortunae artificioſum facinus narratur* = At certe illi dumtaxat, qui mentis omnino ſit ac rationis expers, veriſimile poterit videri, innumerabiles id genus effectus, quorum ſinguli longe mirabiliores ſint ac praeſtantiores, fortuito emergere potuiſſe.

Quod ſi hoc etiam delirantes adverſarii ſibi concedi velint, illud tamen vel inviti tandem concedant neceſſe eſt, non poſſe, quem Caſum appellant, hanc rerum Univerſitatem tam longo ſaeculorum curſu incolumem ſervare, in qua videlicet, ſi nullius artificis induſtria interceſſiſſet, haud pauciores profecto diſſolutionis cauſae quam atomi eſſe viderentur. Ea enim cauſarum, quae dicuntur fortuito operari, natura eſt, et ingenium, ut non easdem ſemper ineant agendi rationes, ex quibus perpetua partium plurimarum in unum finem convenientia, et quaſi conſpiratio exiſtat. Hinc fieri videmus, ut nemo ſit ita rudis, nemo ita rerum ignarus, ut quod opus cum machinatione quadam certa atque conſtanti moveri vertique videat, non alicujus artificis induſtriae atque ſapientiae referat acceptum. Si igitur meliora ſunt

ea,

Digitized by Google

ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta ſunt, nec ars efficit quidquam, conſtans praeſertim atque perpetuum, ſine ratione, ne naturam quidem ipſam ratione non regi putandum eſt.

Quae cum ita ſint admirabilitas coeleſtium rerum atque terreſtrium, atque omnis deſcriptio mundi, et tantus hic coeli ac telluris ornatus, ex alia cauſa, quam quae ſumma potentia, ſumma ſapientia praedita ſit, effici potuiſſe, nemini meo judicio videri poteſt, *quem fanaticus error, et iracunda Diana* non vexet, aut brevi certe vexatura ſit.

Sed rationem jam audiamus, cui tantopere adverſarii fidunt, ut ei commendaviſſe cauſae ſcilicet optimae patrocinium vel maxime videantur. Si atomi, inquiunt, quod abſurdum eſſe nemo demonſtrabit, aeternis antea temporibus *liquidum per inane volutae*, nec non in omnem partem agitatae varias induerunt formas, varias effinxerunt figuras, nonne tandem in omnes evadere colligationum ſeries debuerunt, in quas illae a ſapientiſſima mente cum ſumma potentia conjuncta induci potuiſſent? Quid enim? Num inter colligationes illas, quas non modo conſilio agitatae, ſed vel temere concurſantes, efficere poterant, nonne illae numerandae veniunt, de quibus modo loquuti ſumus? Jam quod fieri poterat, factum revera non eſſe, quo tandem argumento efficietur?

Hanc Atheorum et Epicureorum argumentationem nihil evincere ſatis cuilibet eſt manifeſtum,

modo

modo ſe nolit ipſe decipere. Ea enim qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem eodem argumenti genere probaturum ſeſe confidat, ſi innumerabiles unius et viginti formae literarum vel aureae, vel quales libet aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis Virgilii poema, ut deinceps legi poſſit, effici: quod neſcio an ne in uno quidem verſu, quidquid Premontvalius, homo videlicet ſtultiſſimus, affirmet (1), poſſit tantum valere fortuna.

Nimirum advertas oportet, duas poſſe intelligi colligationum, ſive diſpoſitionum ſeries in illis materiae particulis; alias inordinatas, quaeque nullam praeſeferant ideam alicujus propoſiti finis; alias ordinatas, quae tibi, ſtatim ac easdem oculis aut animo contempleris, ad finem aliquem directae fuiſſe neceſſario videantur. Prima quidem ſeries, ſi verum loqui volumus, a caſu fieri non potuit; ſed tamen hoc loco facile patior, ut exiſtere potuiſſe dicatur ex cauſarum phyſicarum ſine ullo mentis conſilio conjunctarum neſcio qua concurſatione fortuita. Sed alterum certe feriei genus, quod nobis neceſſario mentis ideam exhibet propter finem aliquem operantis, ex ſola cauſarum conjunctione, quae nata ſit a certis quibusdam

ſin-

(1) *Vues Philoſophiq. de Prémontval To. II. pag. 329.* ubi illa ſunt; quae, quidquid ages, nemini rationis omnino compoti perſuadebis. „ *Le premier mot de l' Eneïde Arma, n' eſt composé que de quatre lettres, et elles ne peuvent recevoir que vingt-quatre combinaiſons différentes: il y a donc à parier qu' en multipliant les jets, on amenera la combinaiſon Arma: donc en les multipliant toujours, on peut former le premier vers; donc le livre entier; telle eſt l' analyſe des ſorts.* „

ſingularum atomorum motibus ſine ductu ſapientis ac potentis artificis fortuito collectis, prodire non potuit.

Quod ſi hujus etiam rei, quam ſatis omnes, ut in primo de Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate oſtendimus, natura nos docet; adeo ut, qui de ea dubitet, non videam, cur non idem, ſol ſit an nullus ſit, dubitare poſſit; ſed ſi quis tamen aliquam afferri vellet rationem, quae nimirum a reconditis Metaphyſicae fontibus eliciatur, niſi meo judicio nimis confidam, quam ſubjicio eſſe poteſt. Atomi per infinitum, quod volunt adverſarii, ſpatium aeternis antea temporibus volitantes, potius quam iſtam ſaepe laudatam a nobis univerſitatem rerum, alias numero nullo definitas efficere potuiſſent, et adhuc poſſent, colligationes, aut diſpoſitiones, quae neque ſummi artificis praeſeferrent conſilium, atque potentiam, neque ullum viderentur ad finem pertinere.

Quis enim non intelligit, atomos corpus aliquod ex iis, quae tantopere miramur, efformaturas numquam fuiſſe, niſi ita miſcerentur, atque coirent, ut nullam, aut ſane certam quamdam, eamque minimam, inter ſe diſtantiam ſervarent? At vero quot ſunt, aut potius fingi poſſunt, in ſpatio puncta tot variari quoque diſtantiae poſſunt atomorum, in quibus nihil ſtabile, nihil ornatum, nihil quod conferret ad mundi ſervandam incolumitatem, et ordinem, illae conficerent.

Spa-

Digitized by Google

Spatium autem, ideſt Vacuum, et Inane ex omni parte patens, nullis quaquaverſus limitibus circumſcriptum, ideoque omni ratione infinitum putabant, et vero putare debebant Epicurei.

Nam ſi ſpatium nihil eſt *poſitivi*, ut Philoſophi loquuntur, non eſt quod ullis poſſit terminis contineri; ſin autem *poſitivi* eſt aliquid, quaenam eſſe potuit ratio ſufficiens, quae naturam ejus intra potius hanc, quam aliam, quae potuiſſet exiſtere, includeret extenſionem, atque coarctaret? Niſi forte hujuſmodi quaeratur cauſa in mundis innumerabilibus Epicuri, omnibus minimis temporum punctis, aliis naſcentibus, aliis cadentibus, et individuis eorum corpuſculis tam praeclara opera nulla moderante natura, nulla ratione fingentibus; quae quidem corpuſcula, licet individua, tam levia non ſunt, quam levis eſt Atheorum et Epicureorum his praecipue de rebus oratio.

Quamvis autem nullo definita numero momenta temporis huc uſque fingerentur elapſa, cum ab omni aeternitate perpetuo fuiſſent atomi concuſſae motu, ea tamen infinitas non eſſet *ſimpliciter talis*, at vero *ſecundum quid*, ut Philoſophi noſtri dicere conſueverunt: eſſet enim aeternitas tantum *a parte ante*, ut iidem ajunt. Infinitas autem extenſionis in ſpatio, atque hinc diſtantiarum, quas atomi ſemper diverſas ſortiri potuiſſent, abſoluta eſſet, atque perfecta.

Quis

Digitized by Google

Quis jam non videat, ex his omnibus effici, etiamſi quaedam fuiſſe dicatur ab infinito tempore aeternitas, qua ſemper vagantes atomi ſedes mutaverint, poſſe adhuc, ſemperque futurum ut poſſint, per innumerabilia ſaecula mutare, ideoque nova ſemper ac nova ſeſe ratione reſpicere? Pro ea igitur feliciſſima copulatione, qua corpus ad aliquod ex iis, quae cernimus, efformandum coagmentatae ſunt, numero prorſus infinitas habere diſpoſitiones potuiſſent, et adhuc poſſent plane diverſas.

Jam ergo rationem concludamus. Niſi mens aliqua ex omnibus iisdem diſpoſitionibus ordinatam ſeligat, infinite probabilius eſt, obventuram potius inordinatam ex perpetua atomorum concurſatione diſpoſitionum ſeriem, quam ordinatam. Etenim contra iſtam illae, quas diximus infinitas, univerſae pugnant. Ergo quod iſta exiſtat, infinita eſt (liceat hoc loco vocem latinis auribus minus dignam uſurpare) *improbabilitas*; ad quam proinde vincendam ſumma vis requiritur atque poteſtas, cujus ratio ſufficiens nulla invenietur, niſi in perfectiſſima ſupremi artificis mente, qui rerum unam potius, quam aliam diſpoſitionem, et ordinem aptiſſime colligatum jubeat exiſtere.

Jam probabilitas infinita quid eſt, niſi probabilitas prorſus omnis, probabilitas, qua major eſſe nequeat? Haec autem quid eſt, niſi omnino ſumma, atque ideo metaphyſica evidentia?

C Fin-

Finge in capſulam aliquam ſchedulas centum conjici, quarum novem, et nonaginta albae ſint, una tantum notata. Habes ex iis, quae in Dialectica praecipiuntur, probabilitatem ut unum (ſic eam appellemus) fore, ut, ſi ſchedula una debeat extrahi, ſchedula notis diſtincta prodeat, ſed *improbabilitatem* ut 99. fore, ut ea non prodeat. Finge ſubinde non unicam, ſed tres, decem, nonaginta, novem, et nonaginta ſchedas eſſe notatas: eadem ratione ſibi creſcet probabilitas, et *improbabilitas*, quam diximus, minuetur. Si denique notatae ſchedae ſint centum, jam habebis probabilitatem omnem, atque ideo *certitudinem*, ut vocant, ſive evidentiam, ſchedulam aliquam ex iis, quae notatae ſunt, eſſe prodituram. Eadem fere dicas in re noſtra.

Quae diximus clariora fierent, ſi alia perpendere capita vellemus, ex quibus colligationum, quas inordinatas diximus, ſeriem in infinitum augeri poſſe efficitur. Directio quidem motus atomorum in infinitum variari poſſet multis de cauſis. Nam et rectae, quarum ad normam curſum tenere poſſent, in uno plano ſunt infinitae; plana in ſpatio item ſunt infinita, et pro quavis recta in quovis plano infinita ſunt etiam genera curvarum, quae cum eadem ex dato puncto directionis oriantur. Velocitas etiam variari potuiſſet in infinitum, qua tam levia corpuſcula perenni concitata motu immenſa ſpatia vorare dicebantur.

Sci-

Scilicet ad hoc, ut atomi, cum primo conveniendum erat, apta quadam certaque ratione commiſcerentur, neceſſe fuit, ut certam quamdam ſequerentur directionem motus; imo non modo ſequerentur ipſae, ſed neque per viam, ut ita dicam, alio pellerentur, vel traherentur ab aliis, hac et illac exlegum atque otioſorum more puerorum temere concurſantibus. Ad eam quoque copulationem habendam velocitas, qua atomus altera in alteram impingebat, plurimum facere poterat, ideoque velocitas etiam ex infinitis, quae potuiſſent exiſtere, una ſeligenda erat. Quis enim ignorat, ſi ſegnius, aut incitatius, duo ſeſe mutuo corpora collidant diverſos omnino effectus oriri?

Sed haec omnia, aliaque non pauca, ne magis quam par erat excreſceret oratio, ſilentio praetermiſſa ſunt. Illud vero Lector per ſe facile videt, cum vel unum corpus ab atomis fere innumerabilibus nulla mente dirigente vagantibus extitiſſe, pluribus de cauſis prorſus abſurdum cenſeri debeat, quanto magis hoc ipſum de tota rerum univerſitate ſit ſtatuendum.

At ſcio, quo ſeſe verſuri ſint adverſarii. Dicent ergo, qua ratione probamus nos, ordinatam ex atomorum concurſatione fortuita non poſſe unquam oriri, ſeſe probaturos, ne poſſe quidem quamvis inordinatam, nullique fini ſatis opportunam copulationem exiſtere. Quid enim? Nonne contra iſtam aliae pugnare tibi videntur col-

ligationes atomorum, quae nullo poſſint unquam numero definiri? Quod ſi ſemel id ſtatuas, ὑποθέσιν omnino ſubvertis, qua confuſum aliquid et inordinatum ex atomorum concurſu exiſtere poſſe dedimus; quam quidem ὑποθέσιν, a Democrito et Epicuro invectam, eodem jure ſtare contendent in hac ſaltem controverſia, quo tu negabis.

Ea magni momenti ratio videri poſſet, niſi aliquod ipſam involvere ſophiſma, quod, aeque ac nodus ille Gordianus, etſi quis ſolvere neſciat, ſolubile tamen ſit, tardo etiam cuilibet homini ſuſpicari liceret. Is enim videt, ſi formae litterarum aureae, vel argenteae in terram excutiantur, quamvis potius inordinatam, atque confuſam, quam aptam concinnamque collocationem habituras, unde poema repente exiſtat omnibus numeris abſolutum. Neque vero eumdem hominem eo argumento movebis, ut ſecus judicet, quod aeque contra illam, et contra iſtam innumerabiles aliae formarum collocationes ex iis, quae poſſunt eſſe, facere videantur. Sed rationem, quae a nobis propoſita fuerat, proſequamur.

Colligatio quaevis inordinata innumerabilium atomorum hac et illac temere volitantium cum innumerabilibus confligit, ut ita dicam, aliis colligationibus, quae potius quam ipſa prodire poſſint. Quare incredibile dictu eſt, quam difficile ſit, ac videri debeat, ut ipſa potius ex ea corpuſculorum jactatione, quam aliae, prodeat. Inſaniret ergo ſi quis

quis pecunia, vel alia re depoſita ſponderet extituram. Ea tamen difficultas aliquantulum inde minuitur, quod colligatio aliqua ex inordinatarum genere conſurgere debeat: quare cum in eo ipſa genere, non minus quam caeterae, conſtituatur, non minus quam caeterae, ſi conſiderentur ſingulae, conſurgere poteſt. Non ergo eſſet, ſi eam extitiſſe quis nuntiaret, quod tamquam prorſus incredibile, ac prorſus abſurdum negare jure poſſemus.

At vero coagmentatio atomorum in hanc pulcherrimam, ſuiſque finibus omnino reſpondentem Univerſi molem non modo ſingulas habet oppoſitas colligationes earumdem atomorum, alias et alias in infinitum, ſed eſt ex genere colligationum ordinatarum, quod habet oppoſitam collectionem totam inordinatarum, unica ſub idea, et inſtar ingentis cujusdam exercitus a te conſiderandam. Ad efformanda enim vel exigua corpuſcula, quae ſuam conſtanter formam retineant, ea requiritur atomorum acceſſio, ut limites quosdam, eosdemque ſtatutos, et certos ingrediantur; quorum proinde numerus debet eſſe infinitis vicibus minor, quam numerus aliorum limitum, intra quos atomi, licet innumerabiles, conſtitutae nullam induere poſſent aptam, conſtantemque figuram. Hinc autem quod colligatio aliqua inordinata, quaecumque tandem ea futura ſit, numquam autem ordinata, ex fortuita debeat Epicurearum atomorum concurſatione obvenire, facile quivis intelligit.

Res

Res adeo ſpinoſas ideo ſub aliquibus allegoriae integumentis involvimus, ut minus offenſionis haberet oratio. Si quis accuratius dicta deſideret, ille ſic habeat. Cum duo genera ſint, alterum ordinatarum, inordinatarum alterum colligationum, de quibus tam ſaepe locuti ſumus, atomos temere concurrentes unam ex illo facilius fuerat, quam ex iſto ſortiri. Id et adverſarii, niſi omnino vecordes ſint, omnino fatentur, et exemplis, ſi qui forte negarent, innumerabilibus convinci poſſent. Jam ea major facilitas proportionem habere debet cum exceſſu, quem genus inordinatarum ſupra genus ordinatarum hujuſmodi colligationum habet; quod etiam a ſimilibus ducta rebus experientia ſuadet, et perſpicua ratio demonſtrat. Cum ergo genus inordinatarum ſupra genus alterum infinite pateat, hinc ſequitur, infinite facilius eſſe, ut, ſi quid prodire debeat, ex illo, quam ex hoc aliquid prodeat.

Jam quod prae oppoſito infinitam habet facilitatem, ut fiat, nonne vera, propriaque, eademque maxima continetur neceſſitate naturae? Id enim ita prae oppoſito fieri quodammodo exigit, ut nihil enixe magis exigi queat, quod verae propriaeque neceſſitatis notionem cuivis exhibet. Ea nimirum facilitas eſt ſumma *proclivitas*, ut Scholaſticorum verbis utar, *potentiae in actum*. Summa vero, hujuſmodi proclivitas neceſſitas eſt. Quod enim eſt neceſſarium, ita proclive eſt, ut fiat, ut magis eſſe non poſſit. Neque enim tanta facilitas, de qua verba facimus, ullo ex capite poteſt immi-

nui; quomodo difficultas in eo ſita, quod haec potius quam illa ex inordinatarum collectione colligatio prodeat, imminuitur, ut indicavimus. Quare infinita non haec, ſed illa tantummodo dicenda eſt.

Quod ſi facilitas etiam tanta inde tibi videatur aliquantulum imminui, quod collectio etiam ipſa ordinatarum colligationum inter colligationes, quae poſſint eſſe, recenſeri queat, ſumes id veluti jure tuo, de quo tibi litem adverſarii intentarunt. Profecto illi negant, inter ea, quae poſſunt ex fortuito nihil ſentientium atomorum exiſtere concurſu, pulcherrimam hanc eſſe rerum omnium univerſitatem; qua nihil ad ornatum admirabilius, nihil ad uſum eorum, qui mente praediti ſunt, excogitari poteſt aptius.

Sed jam haec omittamus. Fieri enim ſaepenumero videmus, ut, cum ſubtilius, atque curioſius, quam neceſſe eſt, illa ſcrutari volumus, quae naturae ductu, non autem artis magiſterio didicimus, hominibus non admodum doctis firmiora noſtrarum cognitionum interturbare fundamenta videantur. Equidem, ut ſaepe ſignificavi, aptiſſimas rerum innumerabilium ſeries et ordines fortuiti caſus opera non fuiſſe, tam evidentem dici debere ſententiam, quam aliam quamlibet ipſius naturae ope cognitam veritatem, exiſtimo. Quare ſi quis, ea pulcherrimarum copulatione rerum, et quaſi, conſentiente ad mundi incolumitatem coagmentatione naturae, non moveri ſe dicat, ut maximam ſupremi Artificis potentiam,

atque

atque ſapientiam agnoſcat, hunc vel turpiſſimi mendacii crimine teneri, vel horum nihil unquam reputaviſſe, certo ſcio.

CAPUT III.

Eamdem Dei Potentiam, eamdemque Sapientiam, eſſe prorſus infinitam oſtenditur.

HActenus de ratione locuti ſumus, quae maximam, et humanis mentibus incomprehenſam eſſe Dei Potentiam, atque Sapientiam evidenter oſtendit. At easdem proprietates eſſe prorſus infinitas, in ſuo videlicet utramque genere, moroſis quibusdam adverſariis jam oſtendendum eſt.

Antequam id praeſtemus, et de Potentia Sapientiaque divina per ideas omnino abſtractas ac generales conſiderata nos loqui monemus, et id ſumere, quod plurimis argumentis Metaphyſici probant, et explicata ratio ſatis efficit, primam rerum quarumcumque cauſam haud aliam agnoſci oportere, praeter divinam, quaecumque tandem ea ſit, intelligentiam, atque virtutem.

Sed et illud jure noſtro ſumere poſſemus, quod ſtatim aequus lector agnoſcet, res, quae poſſent exiſtere, ut revera non exiſtant, infinitas omnino dicendas eſſe. Quis enim Genus Humanum, quis ea, quae vel in tellure ſunt, vel in aethere, no-

noſtris objecta ſenſibus, quis caetera, ex quibus haec pulcherrima totius mundi moles exiſtit, infinite augeri poſſe, jure negaverit? Negaret autem jure, ſi rerum, quae fieri poſſint, numerus definitus eſſet; ſi tot, exempli cauſa, hominum millia, ſi tot planetae, tot ſtellae, tot rerum ſpecies tantummodo poſſent exiſtere: plures autem eſſe tam eſſet abſurdum, quam Chimaeram aut Hippocentaurum in hoc terrarum orbe reperire.

At hujus quidem in rerum ipſa natura legis ulla probabilis ratio, non modo non eſſe, at ne fingi quidem animo poteſt. Non enim quiſpiam ſufficientem rationem eſſe non temere ſuſpicabitur, quare ſi bonum aliquod minus exiſtat, non item aequale, quantum pertinet ad ipſam rei naturam, exiſtere poſſit, aut majus. At enim ſine ratione ſufficiente quidquam affirmare, Philoſophos omnino dedecet.

Veterum autem illorum, de quibus in Libro de Fato M. Tullius, exploſa jampridem ſententia eſt; qui nihil didiciſſe, nihil ſenſiſſe animo videntur, cum praefracte negarunt, quidquid non exiſtit, inter ea, quae poſsent exiſtere, non abſurde numerari. Hobbeſius quidem atque Spinoſa, non diſputantes philoſophi, at perpetuo ſomniantes, cum omnia fatali neſcio cui neceſſitati tribuerent, eamdem vel ſentiendi vel loquendi rationem ſtultiſſime tenuerunt. At quis commenta iſta non rideat, modo philoſophiam a primo limine ſalutaverit?

Si enim aliquid, quod non ſit, eſse unquam potuiſſe vel poſſe negaveris, clariſſimas quaſque notiones omnino ſuſtuliſſe videberis hominum generi ab ipſa natura datas. Etenim quaenam dici vel fingi notio poteſt magis clara magiſque perſpicua, quam ea, quae verbo ipſi *Poſſe* reſpondet ab omnibus omnium generum ac gentium hominibus uſurpato? Mihi quidem ea notio tam clara eſt, quam ea, quae me vel ſedere vel ambulare vel ſcribere mihi demonſtrat, cum tamen alii homines eodem tempore omnino contraria faciant. Jam ſi de iis, quae clara notio demonſtrat, Hobbeſio et Spinoſa auctoribus, nefas eſt vel incertam habere ſententiam, quis eosdem aequo animo ferat, quis non aſpernetur, cum nihil in natura fieri poſſe clamant, quod neque fuerit unquam, neque ſit, neque futurum ſit? Itaque ſcitum illud Methaphyſicorum omnium = *Quaecumque contradictionem involvunt*, *impoſſibilia ſunt*, *quae ſecus poſſibilia* =.

Quae cum ita ſint, jam eſt advertendum, res omnino nullas inter hujuſmodi *poſſibilia*, quae vocant, numerandas videri, niſi Deus aliquis, quem primam eſſe rerum cauſam hoc loco ſumimus, creare poſſit, aut alia quavis ratione producere. Nihil enim, quod non eſt, poteſt eſse, niſi propterea quod in alterius, qui ſit, ut ita dicam, potentia contineatur. Quidquid autem eſt, vel ipſe Deus eſt, vel aliquid a Deo productum. Ergo quidquid revera poteſt exiſtere ad ipſam Dei Potentiam neceſsario pertinet. Po-

Poteſt igitur infinita Deus; et id quidem vel ex eo etiam ſatis apparet, quod nulla queat excogitari vel esse non prorſus inepta ratio, cur qui tanta molitus eſt, atque adeo difficilia, non et alia quaelibet in quovis genere poſſit. Itaque Deum Omnipotentem eſſe, libenter inter Ethnicos vel Philoſophi vel ipſi Poetae conceſſerunt.

At enim ea Virtus, quae omnia, quae infinita poteſt, fines aut terminos profecto neſcit. Quidquid autem fines aut terminos neſcit, infinitum eſt. Infinita igitur Dei Virtus atque Potentia dicenda eſt.

Neque vero quiſquam hic jure poſſet opponere, humanis etiam viribus, dum aeterno tempore exiſtant, actus elici poſſe, quorum numerus nullo unquam fine determinetur; ex quo tamen vires illas infinitas eſſe, nemo dicet. Etenim, ſi acutius inſpicias, facile videbis, infinitos eosdem actus non humanae Potentiae, verum divinae acceptos eſſe referendos.

Conſentiunt enim Philoſophi, tantummodo ſpecies actuum, quae certe finitae ſunt, non vero ſingulos ipſos actus, qui prodituri ſunt, ſive finiti numero, ſive infiniti, ab humana ſeu Potentia, ſeu Voluntate conſtitui. Itaque = *determinationem actuum in individuo non a cauſa ſecunda, ſed tantum a prima eſſe* = iidem Philoſophi docent. Alia neque parva ſcilicet, neque pauca inter humanam divinamque Potentiam diſcrimina poſſent afferri; ſed omnia perſequi oratione non vacat.

Si-

Similis autem ratio ſateri cogit, prorſus infinitam Divinitatis eſſe Sapientiam. Nam et ſe ipſa Divinitas, et ea, quae facere poteſt, infinita cognoſcit. Quis enim Intelligentiae divinae fines conſtituat, cum nulli fines ejusdem Potentiae conſtituantur? Profecto rem aliquam producere multo difficilius eſt, quam cognoſcere; neque vero nobis verendum eſt, ne, qui difficilius aliquid conſequitur, idem ab eo, quod facilius eſt, excidat; niſi forte rationes quasdam excogitemus, quae nullum in prima rerum Cauſa locum habiturae ſint.

Sane Deum omnia cognoſcere vel inde ſatis apparet, quod homines praecipue non hebetes non prorſus ignorent, quo ſua ipſorum potentia, vireſque pertineant. Si qua vero minime cognoſcimus, id ex mentis imbecillitate, et pudenda noſtro generi inſcitia contingit. Similia de Deo cogitare quis audeat? Etenim in ſummae Potentiae natione ſumma facilitas ad omnia, quae vult, atque hinc maxima quedam felicitas, cum tanto mentis vitio minime conjungenda, comprehenditur.

Si quis tamen Homini ſimilem Deum hac in re cogitaret eſſe, facile convinceretur. Homines enim inſcitiam aut paulatim exuere, aut ſaltem imminuere poſſunt, ac ſolent. Aut ergo potuiſſet aliquid ſimile praeſtare Deus, aut non potuiſset. Si non potuiſſe dicatur, praeterquamquod deterior Homine fingitur, ejus Omnipoten-

tentiae, quam in Mundi creatione noſcimus, multum ſane deeſſe dicendum eſt. Sin vero potuit, rurſus interrogo. Itane potuit, ut omnino tantum a ſe malum auferret, an ut tantummodo imminueret? Si primum, quis eum aeterno tempore quieviſſe putet, ut non id praeſtaret? Sin alterum; oporteret ergo aliquod eſſe impedimentum, quod Dei in ſapientia progreſſui opponeretur, illumque diſcere cupientem perpetuo retardaret. At nonne delirantis eſſet potius, quam diſputantis Philoſophi tam abſurda de potentiſſima illa Natura ſentire?

Iisdem fere interrogatiunculis efficitur, ut Perfectio divinae cognitionis, et Claritas nullis offundi tenebris queat. Si quae enim eſſent, quomodo non auferret Deus; cujus voluntati omnia parere, nos docet haec pulcherrima et praeſtantiſſima rerum univerſitas, quam quotidie ſenſibus uſurpamus, neque tamen ſatis mirari, aut etiam complecti animo poſsumus?

An aliquis ita deſipiet, ut dicat, limites divinae Scientiae ab ipſa ejus natura poni? At is profecto ſuae ſcientiae limites, eoſque ſane anguſtos, jamdiu poſitos eſſe oſtenderet, qui Deum et aliquid ignorare, aut non plane cognoſcere diceret, et eumdem ultra progredi unquam poſſe negaret: Quod nimirum, ſi de homine dicatur, turpiſſimum eſſet.

An profecit ille quidem infinito tempore, ſed aliqua ſemper ei diſcenda ſuperſunt? Tantalo di-

dignam ipſi Deo poenam imponis, ut in veritate inquirenda per totam aeternitatem occupatus numquam omnino poſſit expleri. Si quid enim ille cuperet, ut ſibi accideret, id profecto cuperet, ut ſe dignam, ideoque infinitam, Sapientiam adipiſceretur. Numquam vero fieret, ut conſequi poſſet, quod infinito tempore laborans conſecutus non eſset.

Quae cum ita ſint, non modo Potentiam, ſed et Sapientiam Dei infinitam eſse, ſtatuamus oportet: ex quibus id, quod volumus, ut mox videbimus, facile ſequitur. Neque enim cujuſquemodi Bona, tum quae *Moralia*, tum quae *Phyſica* dicimus, illi deeſse poſsunt, quem ſemel infinita Sapientia, infinitaque Potentia praeditum eſse percepimus.

CAPUT IV.

Infinitas Divinae Perfectionis ex Infinitate Sapientiae, atque Potentiae demonſtratur, ac Bolingbrokii Moralia Dei Attributa negantis confutatur impietas.

PRimo quidem Sapientia infinita Potentiae item infinitae conjuncta flagitat, ut Dei Sanctitas, et, quas amplectitur Sanctitas, univerſae dotes atque virtutes etiam infinitae ſint. Niſi enim eſſent, ille minus honeſtatem ipſam ac bonitatem amaret, quam amari ea poſſit, ac mereatur; cum nullum

Digitized by Google

nullum amori omnium optimo, ac praeſtantiſſimo finem aut ipſius amoris, aut amatae rei natura conſtituat. Quare aut non id facere poſſet Deus, quod tamen per ſe fieri poſſe intelligimus; atque hinc divina Potentia corrueret; aut quod poſſet hac in re nollet; atque hinc de Sapientia ipſius actum eſſe videretur. Nam contra ſapientiam eſt omnino plenam atque perfectam non tanto in honeſtatem amore ferri, quanto quis ferri poſſit; praeſertim ſi facile poſſit, neque in amando detrimenti quidpiam, aut incommodi, capiat. Hinc omne peccatum ac vitium in moribus eſſe contra ſapientiam ipſam, nemo inficiatur, qui tritum illud audierit omnium ſermone proverbium „ *Omnis peccans eſt ignorans* „ ex quo ſequitur, ut, qui nihil ex ulla parte ignorare poſſit, nullum omnino vel leve peccatum, aut crimen poſſit admittere. Peccaret autem qui, cum infinito poſſet honeſtatem amore proſequi, nollet. Etenim honeſtatem infinite minus amaret, quam ab ipſo amari deceret. Quae cum ita ſint, qui ſumme Potens ac ſumme Sapiens merito nuncupatur; idem et ſumme Sanctus, habendus eſt.

Vides ex his, opinor, quantopere Bolingbrokius inſaniverit, cum eſſe Deo Sapientiam, eſſe Potentiam, agnoſceret, at vero Bonitatem, et Juſtitiam, et caetera, quae Moralia dicimus, Attributa negaret; quamvis et hac ipſa in re leviſſimus homo non ſemper ipſe ſibi conſtiterit

rit

rit (1) Rationes autem ipſius eae ſunt, ut vix confutatione indigeant.

Ait opera Dei Potentiam et Sapientiam, non autem Bonitatem ac Juſtitiam, oſtendere, quin et cum iis aperte pugnare (2). Sumit id confidentiſſime, quod nullo modo probare poteſt. Quod enim in mundo plurima ſint mala, quod plurima videantur praeter ordinem, imo et contra ordinem fieri, tam, neque Bonum eſſe Deum, neque Juſtum, non efficit, quam non eſſe Sapientem. Non minus enim contra Sapientiam, ut vidimus, quam contra Bonitatem ac Juſtitiam eſt, in ſuis operibus ea mala et ea vitia tolerare, multo magis inducere, quae contra finem operum ipſorum et operantis aperte faciant.

Praeterea, qua ratione Bolingbrokius reſpondet, quibus in rebus Sapientia Dei non agnoſcitur a nobis, id mentium noſtrarum vitio, non ipſius Sapientiae, contingere (3), eadem nos

(1) *E. g. Oeuvr. Vol. III. p.* 253. *ait „ Les oeuvres de Dieu montrent ſa ſageſſe et ſa puiſſance infinies, et nous obligent de lui attribuer toutes les autres perfections, tant celles que nous pouvons concevoir, que celles qui ſurpaſſent nôtre compréhenſion „ Vol. V. p.* 332. ſe dicit eſſe „ *défenſeur de la Bonté de Dieu contre lee Athées et les Théologiens* „ Moyſem etiam eo loco reprehendit, perinde ac ſi divinae Bonitatis notionem everterit. Aliquando etiam Theologos arguit, ac ſi divinae Juſtitiae quidpiam derogarent. Imo et *eod. Vol. p.* 512. ait „ *dans l' oeconomie préſente tout eſt conforme a la juſtice de l' Etre ſupréme* „

(2) Ait enim „ *Les oeuvres de la création montrent parfaitement la Sageſſe et la Puiſſance de Dieu, mais nullement ſa Bonté et ſa Juſtice, avec leſquelles les Phenomènes qu' on obſerve dans l' Univers ſont pour la plûpart en oppoſition manifeſte. Attribuer la bonté et la juſtice à l' Etre ſuprême ſeroit auſſi impie que de lui attribuer le Courage, la Temperance, et d' autres vertus humaines* „.

(3) *Vol. V. p.* 24. fatetur „ *que là où nous ne voyons pas la Sageſſe divine, il faut nous en prendre à nôtre imperfection* „ *p.* 332. fatetur etiam cum nos eam deprehendamus Dei Sapientiam „ *en tant de choſes dont la connoiſſance eſt à nôtre portée, il ſeroit abſurde de ne la pas reconnoitre là même où nous ne la voyons qu' imparfaitement ou point du tout*.

Digitized by Google

nos et Bonitatem Dei, et Juſtitiam tuemur. Si qua nimirum ſunt in rerum univerſitate mala, vel propter eas rationes a Deo fiunt, aut tolerantur, quas etiam humana Sapientia facile aſſequatur, vel propter alias quasdam nobis ignotas, non autem Deo.'

Quod autem ait Bolingbrokius, Potentiam atque Sapientiam nihil natura complecti, quod cum Infiniti notione aegre componatur; at vero Bonitatem atque Juſtitiam non eſſe, niſi finitae ſint, ac ſuis incluſae limitibus (1) tale eſt, ut nihil magis inſanum potuerit excogitari. Quamquam enim aliquando Bonitatis aut Juſtitiae divinae quosdam effectus eſſe, quaedam alia Dei Attributa non ſinunt, non hinc Bonitas ipſa, vel Juſtitia Dei certis quaſi cancellis definiri putanda eſt. Infinita utraque eſt, quia ſcilicet, quidquid pertinet ad Bonitatis ac Juſtitiae veram propriamque rationem ita continet, ut ſi forent infinitae mentes et bonae, et juſtae, nullo modo poſſent cum ipſo Deo de Bonitate, ac de Juſtitia contendere. Majus enim aliquid, atque perfectius ſemper ineſſet Deo, a quo ſcilicet illae, quidquid haberent, accepiſſent.

Similis omnino ſtultitiae fuit vereri, ne, ſi praeter Attributa Phyſica, etiam Moralia tribuantur Deo, ſimplex Dei Natura dividatur in partes,

(4) Idem Bolinbrokius „ *Enfin la Puiſſance, et la Sageſſe n'ont rien dans leur nature qui ſoit contraire à l'idée de l'Infini; aulieu que la Bonté et la Juſtice ceſſent d'être ce qu'elles ſont, ſi on ne les conçoit pas comme bornées, et finies* „.

ac diſtrahatur. Quid? an dividitur ac diſtrahitur, cum praeter Potentiam eidem Sapientia tribuitur? Ne Bolingbrokius quidem id unquam dixit. Cur ergo, ſi praeter Sapientiam Bonitas ac Juſtitia ineſſe dicatur Deo, minime ſimplex ea natura erit exiſtimanda? Cur tueri non poterimus, unicum illam, et omnino individuum eſſe Bonum, quod Bona omnia ſine malis cujuſque generis nobiliſſima ratione complectatur?

Equidem et illud valde miror, non vidiſſe Bolingbrokium, in ipſa ratione Sapientiae divinae Bonitatis Juſtitiaeque rationem aperte contineri. Etenim ille ſapientiam conſtituit in optimorum finium electione et in iis rebus adhibendis, quibus ad eosdem fines perveniri poſſit. (1) Jam vero finis Deo praecipuus quid eſt in ipſa univerſarum molitione rerum, niſi totius Univerſi Ordo, ad quem felicitas creatarum cujuſque generis mentium vel maxime facit? Velle autem felicitatem ipſarum nonne Bonitatis eſt? Velle Ordinem in ipſis rebus nonne ad Juſtitiam ſpectat? Quid enim Bonitatis, quid Juſtitiae nomine aliud Bolingbrokius intelliget? Ubicumque igitur in operibus Dei Sapientia, etiam Bonitas, etiam Juſtitia refulget; neque proprietates iſtae minores, quam illa, dicentur unquam, niſi ab eo, qui, Sapientia ipſa quid ſit, valde implexa et confuſa ratione didicerit.

Praeterea, ſi Deo ineſt intelligentia, voluntas etiam ineſt, quae in intelligentia fundatur. Volun-

(1) *Vol. V. p. 335.*

Digitized by Google

luntas iſta vel id amare dicitur, quod propriae naturae convenit, quod cum ſuprema honeſtatis regula congruit, quod in ordinis notione continetur, quod rectum, quod ſanctum eſt, vel ſecus. Alterum hoc nemo dixit, qui Deum eſſe concederet. Quaenam enim in praeſtantiſsima omnium natura perturbatio tanta eſſe queat, ut in errores adeo turpes labatur? At primum illud ſi dicatur, ineſse Deo Bonitas ac Juſtitia manifeſte dicitur. Etenim amor honeſti ſine Bonitate, amor Ordinis ſine Juſtitia, non modo eſſe, at ne fingi quidem animo poteſt. (1)

Nemo autem impiis Mirabodii verbis, mala, quae ſunt in toto terrarum orbe, non minus quam bona, Deo tribuenda eſse jactantis (2) de ſententia deterreri debet. Cum enim ex bonis Deum eſſe bonum collegerimus, malum autem eumdem dici, evidens ratio vetet, non

 in

(1) Baylius (*Nouv. de la Rép. des Lettr. Aout 1684. art. 6.*) ait „ *La bonté ſeroit le plus viſible* (inter attributa Dei) *ſi les hommes ſe ſervoient de reflexion. Quelle bonté n' eſt ce pas d' avoir attaché du plaiſir à toutes les actions néceſſaires, et de nous avoir rendus ſuſceptibles du plaiſir en une infinité de façons? On a beau dire que nous ſommes encore plus ſuſceptibles du chagrin et de la douleur; cela n' eſt pas vrai; et quand cela ſeroit vrai, nous ne devrions pas pour cela méconnoître la grande bonté de Dieu, puiſqu' il nous ſeroit aisé de voir, que les plaiſirs dont nous jouiſſons viennent des Loix qu' il a posées dans la Nature; et qu' au contraire la plupart de nos chagrins viennent du mauvais uſage que nous faiſons de notre raiſon. Mais il n' eſt pas vrai que dans ce monde l' homme ſouffre plus de maux que de biens; c' eſt notre ingratitude, notre orgueil, et notre humeur inſatiable qui nous fait parler de la ſorte: **Falſo queritur de Natura ſua Genus humanum. Salluſt.** „

(2) *Syſtem. de la Nature Tom. II. p. 61. et alibi*. Plerumque vero eadem Mirabodius deſcribit (Mirabodium vocamus infamis libri ſcriptorem, quod eo ſeſe ipſe nomine vocari voluerit) quae contra Dei Bonitatem ac Providentiam Baylius objecit. Eadem habes in famoſo alio libro, cui tit, *Contag. Sac*, C. II. *p. 27. et 35.*

in mala voluntate primae cauſae malorum origo, ſed in cauſis omnino aliis quaerenda eſt, ut fuſius et apertius alio loco declarabimus.

At Bona, quae Phyſica dicimus, ineſſe Deo prorſus omnia, facilius oſtenditur. Nam primo quidem ea maxima Bona, quae Naturae neceſsario exiſtentis, quae Cauſae primae, quae Sapientiae infinitae ſunt propria, Deus habebit; quem et neceſsario exiſtere, et rerum eſse primam Cauſam, et infinita pollere Sapientia, docuimus. Deinde omnia Bona complectetur, quae poteſt ipſe producere; quae ſcilicet infinita eſſe vidimus: neque tamen eadem ratione, qua ſunt in ſe ipſa, complectetur. Hoc enim non modo eſſet indignum Deo, ſed ne fingi quidem animo poteſt; quandoquidem plurima ſunt profecto Bona, quae ſimul in eadem natura cum Bonis aliorum generum eſſe nequeant. Itaque Bona omnia, quae rebus creatis ineſſe queant, eminentiore quadam ac nobiliore ratione complectetur ſua natura Deus: qui, cum Bonis infinitis, et quidem ſimul ſumptis, longe ſit excellentior, atque praeſtantior (quaelibet enim cauſa melior eſt ſuis omnibus effectibus, quos propria dumtaxat virtute poſſit, ſine alterius auxilio, producere) infinite Perfectus erit exiſtimandus.

Bono enim, quod *extenſive*, ut Scholaſtici loquuntur, ſit infinitum, nihil enimvero niſi quod *intenſive*, ut iidem ajunt, infinitum in genere Boni dicatur, melius eſse natura poteſt, atque nobilius. Quidquid enim hoc altero modo non eſt

in-

Digitized by Google

infinitum, quaedam erit natura ſingularis, ſuis circumſcripta limitibus, atque hinc et ipſa in infinita illa ſerie Bonorum, de quibus diximus, comprehenſa cum caeteris, a quibus proinde, praecipue ſimul ſumptis, tandem aliquando ſuperari videatur.

Scite igitur D. Thomas infinitam Dei Perfectionem probari ait (1) = *Primo quidem per hoc, quod quidquid perfectionis eſt in effectu oportet inveniri in cauſa effectiva, vel ſecundum eamdem rationem, ſi ſit agens univocum, ut homo generat hominem, vel eminentiori modo, ſi ſit agens aequivocum.... Manifeſtum eſt enim, quod effectus praeexiſtit virtute in cauſa agente: praeexiſtere autem in virtute cauſae agentis, non eſt praeexiſtere imperfectiori modo, ſed perfectiori.... Cum ergo Deus ſit prima cauſa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones praeexiſtere in Deo, ſecundum eminentiorem modum* =.

Non me latet quidem, quid contra pronunciatum illud = *Nemo dat quod non habet* = vir acutus et eloquens Jo. Gualbertus de Soria ſcripſerit (2). Etenim putavit, ex cauſis aliquibus effectus quosdam exiſtere, qui proprietatibus praediti ſint in cauſis iisdem fruſtra requirendis. At error hic celeberrimi hominis optime confutatur in epiſtolis contra ipſum Florentiae ſcriptis, quarum pleraque ſubtilius, et accuratius diſputata egregiae Joannis Lamii doctrinae debentur.

Illud

(1) *S. Thom.* I. P. *q. 4. a. 2.*

(2) *In lib. cui tit. dell' Eſiſtenza di Dio e de' ſuoi Attrib. Fiſici, e Morali.*

Illud ſane certiſſimum eſſe mihi videri ſolet; in ipſa cauſa, ſi videlicet adaequata ſit, effectum ipſum, quacumque demum ratione, contineri. Aliter quidquam eſſet ſine ratione ſufficiente; quod unquam eſſe poſſe Philoſophi negant. Ipſa igitur cauſae virtus aut id habet, quod in effectu eſt, ex eadem ſcilicet ſpecie, vel genere, aut eminentiore quadam ratione complexa continet. Hoc eadem clara notio ſuadet, quae proportionem quamdam inter cauſam, et effectum eſse debere, ſatis aperte demonſtrat.

CAPUT V.

Rationibus etiam, quae vocantur a priori, contra Samuelis Clarkii ſententiam eſſe Deum infinite perfectum ſatis a pte concluditur.

MIhi quidem non admodum illi probantur, qui negant argumento, quod *a priori* Scholaſtici vocant, ſatis apte conc[illegible]i, infinitam Deo Bonitatem, aut Perfectionem [illegible]eſse; quos inter Samuel Clarkius extitit (1), Vir ingenii acumine celeberrimus, at ſuis, aut Magiſtri ſui, novis quibusdam opinionibus plus aequo delectatus.

Et ea quidem ſcripſiſſe Clarkium eo magis miror, quod multis ejus generis rationibus eſse Deum

(1) *Tom. I. de l' Exiſt. de Dieu C. 9.* „ *Je ne me ſervirai pas pour le prouver* (Deum eſſe liberum, intelligentem ec.) *de cette raiſon, que ce qui exiſte par ſoi-même doit être revetu de toutes les perfections poſſibles. La choſe en elle-même eſt très-certaine, mais elle eſt d' une nature à ne pouvoir être bien demontrée a priori ec.* „

Deum Immenſum, hoc eſt nullis naturam ejus locorum limitibus definiri, concludat. Nam ſi, vel unum eſſe Deo Attributum (utimur hoc etiam nomine pro latino, quod Theologorum ac Philoſophorum uſus jamdiu mollivit) ſi vel unum, inquam, eſſe Deo Attributum prorſus infinitum concedas, Eſſentiam illius etiam, ſive Naturam infinitam eſſe, concedas neceſſe eſt. Sapienter enim Leſſius illa pronunciavit, cum de infinita Potentia Dei verba feciſſet = *Neque ſolum ex infinitate potentiae recte colligimus abſolutam infinitatem eſsentiae, ſed etiam ex infinitate cujuslibet attributi. Sapientia enim, Juſtitia, Miſericordia infinita non eſt accomodata vel commenſa niſi eſſentiae infinitae. Debet enim eſse proportio inter eſsentiam, et attributa, ſive inter haec ſit aliqua diſtinctio formalis, ut quidam volunt, ſive non ſit* = (1).

Sed accuratius hac tota de re contra Clarkii ſententiam diſputemus. Si Deus eſt res, quae neceſsario exiſtit (*Ens a ſe* Metaphyſici vocant) omne id amplecti natura debet, quod bonum, quod expetendum, quod perfectum vocari poſſit. Omne autem id finibus caret. Neque enim ratio ſufficiens eſſe poteſt, quare ſi certus aliquis, ut ita dicam, gradus perfectionis exiſtat, non aliud ultra ſit, quod in eo genere cognoſci poſſit, aut appeti. Sane ſi Bonum, quod utcumque natura ſua poſſit eſſe (*Bonum poſſibile* iidem Metaphyſici dicunt)

cunt)

(1) *De Perfection. Divin. Lib. I. C. I. p. m. 2.*

Digitized by Google

cunt) certis limitibus definiri dicatur , ne Deus quidem ipſe poterit Bonum aliquod mente concipere, quo prius illud augeri queat. Igitur abſoluta quaedam Neceſſitas certos intra fines naturam Boni coercet, ut nuſquam amplius illa poſſit excurrere. Id ſi eſt , abſoluta quaedam Neceſſitas cum Boni natura pugnat: quo quid abſurdius excogitari poteſt ? Mala enim erit illa Neceſſitas; quae tamen a nulla mala voluntate pendet: cum de Neceſſitate loquamur, quam nulla ratio , nulla mens , nullius conſilium induxerit . Neque vero fingi vel eſſe alia quaelibet cauſa poteſt, quae Neceſſitatem eamdem infecerit, ut ita dicam, atque corruperit. Haec enim eſſe abſurda omnia vel maxime, rerum ipſarum, de quibus agimus , clarae diſtinctaeque notiones oſtendunt. Nullis ergo limitibus natura Boni , quod utcumque poſſit exiſtere, concludi neceſſario dicenda erit.

Omnia in hoc argumento conſtare vides , niſi quod oſtendendum eſt, Dei Naturam, ſi neceſſario exiſtit, quidquid bonum aut perfectum eſſe poteſt , neceſſario complecti . Oſtenditur autem id ea ratione, quae Solis ipſa luce ſit clarior.

Nam ſi Natura, quae neceſſario exiſtit, Bonum omne conſequi non potuit , multo minus quae non exiſtunt neceſſario, ſed, ut ita dicam, precario, Bonum idem ullo tempore conſequi poterunt. Etenim Bonum quodcumque nihil tandem eſt aliud , niſi peculiaris quidam exiſten-

di modus. Id enim ſatis clarae notiones et *Boni*, et *Exiſtendi* ſatis oſtendunt. Jam quidquid ad *Exiſtendum* pertinet, in eo, quod eſt neceſſario, potius quam in eo, quod neceſſario non eſt, reperiri debet. Quidquid enim majus, aut nobilius eſt in aliquo genere, continet etiam quod in eo genere minus eſt, aut eadem, aut eminentiore quadam ratione, ac modo. Ita fit, ut quod Bonum in perfectiſſima et neceſſaria natura nullo modo reperire licet, in alia nulla natura poſſit exiſtere. Ex quo facile conſequi vides, ut natura, quae neceſſario exiſtit, Bona quaelibet in ſe complexa contineat, ut volumus. Niſi enim id eſſet, jam non poſſet illud eſſe, quod tamen eſſe poſſe clara et aperta ratio demonſtravit. (1)

Quid ergo? ais: nonne, ſi quid allata ratio ponderis habet, Bona omnia neceſſario exiſtunt? Homines igitur, et animantia reliqua, et quae cernimus univerſa neceſſario erunt: quo nihil excogitari poteſt abſurdius.

Facilis ad haec reſponſio eſt. Si quid enim noſtra ratio valet, Bona omnia neceſſario ſunt, quae non ſunt ullis admixta Malis; qualia videlicet in Divina tantum Natura locum habere

F poſse,

(1) Haec omnia confirmantur ea ratione, quam graviſſime D. Thomas iis verbis propoſuit (*I. P. Q. 4. a. 2.*) „ *Secundo vero* [probatur infinita Dei Perfectio] *ex hoc quod ſupra oſtenſum eſt, quod Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens; ex quo oportet quod totam perfectionem eſſendi in ſe contineat.... Cum Deus ſit ipſum eſſe ſubſiſtens, nihil de perfectione eſſendi poteſt ei deeſſe. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem eſſendi; ſecundum hoc enim aliqua perfecta ſunt, quod aliquo modo eſſe habent: unde ſequitur quod nullius rei perfectio Deo deſit.* „

poſſe, Chriſtiani Philoſophi ac Theologi docuerunt. Malum enim, quatenus malum eſt, inutile natura eſt; atque hinc neceſſarium haberi non poteſt. Non igitur homines, aut reliqua omnino, qualia novimus extra Deum, neceſſario ſunt. Sed quidquid in his perfectionis aut boni eſt, multo nobiliore, ut indicavimus, ratione in ipſa neceſſaria Natura continetur.

Si quis adhuc repugnat, Naturam ejus rei, quae maxima ſit, ac necesſario quidem ſit, quaeſo diligentius animo contempletur. Nam primo quidem ea res bona eſt ſine dubio atque perfecta. Immortalis enim eſt, aeterna eſt, neque mali quidpiam ab aliis pati poteſt, quorum ope numquam indigeat. Deinde non circumſcribitur, aut finitur hoc potius quam illo perfectionis, aut bonitatis gradu, vel modo. Hic enim potius quam ille modus neceſſarius eſse non poteſt. Etenim quis me pugnantia loqui aut abſurda dicet, ſi contra eum, exempli cauſa, qui Sapientiam eſse necesſario eidem Naturae neget, ego aut Immenſitatem, aut Æternitatem, aut aliud ſimile quidvis eſſe negavero?

Scilicet quod aliqua natura ita exiſtat, ut potius unum habeat, quam aliud quodcumque Bonum, nullo modo neceſſitatem exiſtendi, ſed cauſae intelligentis arbitrium aut voluntatem omnino ſapit. Haec enim naturam unam hujuſmodi prae reliquis producere poteſt, ſiquidem omnia poteſt. At nulla ratio ab adverſariis aſſeretur,

qua-

Digitized by Google

quamobrem abſoluta Neceſſitas a nulla voluntate pendens Bona plurima, non autem omnia, quae tamen poſſent eſſe, neceſſariae naturae tribuat. Simplex enim omnino debet eſſe illa Neceſſitas, neque optionem ei quiſquam detulit, utrum hoc eſſe velit, an illud Bonum; quin et a veri ſimilitudine quavis abeſt, quod Neceſſitas ea Bonum aliquod exiſtere finitum, non autem infinitum, hoc eſt longe melius, atque praeſtantius, expoſcat.

Praeterea redit huc, quod modo diximus, malam futuram eſſe Neceſſitatem, quae cum ipſa Boni natura ita pugnet, ut infinitum Bonum arceat, atque eſſe non ſinat. Id clarius fit ex eo, quod non aliud eſſe Malum, niſi Boni Privationem ii tantum ignorent, qui numquam Philoſophum, quod ajunt, pictum viderunt. Quaenam autem fingi major, aut pernicioſior Privatio poteſt, quam illius Boni, cujus jactura nulla unquam ratione reparetur? aut quis infiniti Boni jacturam reparari unquam poſſe arbitrabitur? Atqui Neceſſitas abſoluta, de qua loquimur, Naturae Divinae vel maxime propria, optima eſt. Malum enim, cum natura ſua ſit inutile, quandoquidem res utilis hoc ipſo bona eſt, neceſſarium eſſe, nemo dixerit. Quis autem aliquid minime neceſſarium ad abſolutam Neceſsitatem pertinere ſomniaverit? Ergo ne leviter quidem ſuſpicari licet, per eamdem Neceſſitatem Omne Bonum, hoc eſt verum perfectumque Bonum, quominus exiſtat, impediri.

Duo

Duo ſunt, quae adverſarii nobis hoc loco fortaſſe velint opponere. Alterum eſt, etiamſi Neceſſitas nulla ferat, ne Bonum aliquod exiſtat, non continuo colligi, quod ea Neceſſitas exigat, ut idem Bonum exiſtat. Etenim omnia, quae ſunt in rerum ipſa natura, ita ſunt, ut neque non ſint neceſſario, neque tamen eadem neceſſario ſint. Alterum eſt, poſſe dici, Bona omnia neceſſario exiſtere, at in Naturis omnino ſejunctis atque diverſis, non autem in ipſo Deo.

Quid reſpondeas ad haec, habes ex dictis. Nam primo quidem, ſi Neceſſitas abſoluta Divinae Naturae, ut ita dicam, inſita, non exigit, ut ipſa Natura certo aliquo Bonorum numero definiatur, haec certo Bonorum numero definiri ex nulla cauſa poteſt. Ergo definiri nullo modo poteſt. Eſſe enim quidquam ſine ratione ſufficiente Philoſophis auctoribus magis eſt abſurdum, quam ſine parentibus homines, aut ſine ſeminibus arbores naſci.

Profecto Naturae neceſſariae voluntas a nullo Bono refugere dicenda eſt, quod ſine ulla concretione Mali, ſine dolore ullo, vel toedio poſſit haberi. Etenim ne peſſimorum quidem, aut ſtultiſſimorum hominum voluntates hujuſmodi Bona averſantur. Neque vero extra voluntatem ipſam alia res aut natura eſſe vel fingi poteſt, quae cogat illam certos intra Bonorum fines vel invitam, ſi Superis placet, reluctantemque conſiſtere.

In-

Innumerabilia ſunt, quibus id effici cogique poſſit; neque tamen afferre omnia neceſſe eſt. Quis enim non facile videt, Naturam eam, quae neceſſario exiſtit, cum firmiſsima ſine dubio debeat eſſe, cum a nemine quidquam acceperit, ſatis ipſam ſeſe tueri, neque ab illis ullam poſſe Bonorum ſuorum partem amittere, quae nequeant eam ipſam e medio ſummovere? Etenim, quae diximus, Bona ita cum ipſa natura conjuncta ſunt, ut avelli ab ea, ſejungique nulla ratione poſsint; ut mox docebimus. Multa huc etiam afferri poſſent, a Baylio, dum oſtendere nititur, materiam, ſi a Deo creata non ſit, non poſse a Deo quidquam pati, otioſe diſputata.

Jam vero ſimilia de rebus, quae non ſint neceſſario, dici ratio ipſa non ſinit. Quamvis enim ea non exiſtere non ſit neceſſarium, poſſunt tamen eſſe cauſae non ita paucae, propter quas non exiſtant.

Quod ſi Naturae Divinae Perfectio nullo Bonorum numero definitur, infinita profecto dicenda eſt. Ipſum enim exiſtere neceſſario, vel ipſa, ut Philoſophi loquuntur, *neceſſaria Exiſtentia* ſufficiens Bonorum omnium fundamentum eſt. Æque enim unum illa reſpicit, atque aliud Bonum. Neque enim, ut diximus, hoc prae illo quidquam habet, unde illo, ſi fas eſt ita loqui, in tenebris Nihili relicto extare debeat, ac Neceſſitati poſcenti, ut Natura Divina ſit, omnino ſatisfacere. Quamobrem, ſi ex ejuſdem Neceſ-

ceſsitatis vi Bonum unum exiſtat, et aliud exiſtet: ſeu potius unum ſimplex Bonum exiſtet, in quo caetera omnia ſublimi quadam ratione comprehendantur.

Alterum autem illud facilius expeditur. Si enim omnia Bona, quae poſſunt eſſe, neceſſario ſunt, nullis admixta Malis, in praeſtantiſſima Dei Natura certe conjuncta ſunt. Nam primo quidem extra Deum ſeparata, ut ita dicam, ac diſſita finitas tantummodo naturas conſtituerent. Quidquid autem finitum eſt, aliqua ex parte Malum eſt. Nam et hoc Malum eſt, quod Metaphyſicum vocant, quocumque carere Bono. Deinde maximum Bonum ea certe natura eſt, in qua Bona omnia, quae poſſint eſſe, nullis admixta Malis aptiſſima quadam, ſi licet his uti verbis, naturae neceſſitate junguntur. Ea igitur Natura exiſtit; quandoquidem exiſtere Omne Bonum, atque hinc exiſtere Maximum Bonum, adeo luculentae rationes hactenus oſtenderunt (1).

CAPUT

(1) Ad nonnullas ex iis rationibus, quas explicuimus, pleraque revocari poſſunt a Philoſophis in hanc rem acutiſſime diſputata. Faciunt etiam huc nonnulla ex Patribus hanc in rem a Petavio collecta [*Theolog. Dogm. Lib.* VI. *Cap.* 7.] Sed eorum rationes quasdam ne leviter quidem in hoc opere metaphyſico attingimus, quod aliquid ab auctoritate, praeſertim ſacra, ſumere videantur. Hujuſmodi eſt argumentum, quod *n.* 4. ex Clemente Alexandrino ille deſumit. „ *Qui in octavo Stromateon, ait, recte admonet, cum nomen aliquod ſimpliciter uſurpamus, ſtatim rem nominis ocurrere in ſuo genere perfectiſſimam* „. *Etenim in perfectionem generis, ait, intuentes, ad eas, quae maxime propriae ſunt, ſignificatarum rerum venimus. Exempli cauſa, cum medicum audimus, talem informamus animo, cui nihil deſit medicae facultatis. Sic hominem ſapientem intelligimus eum, cui nihil deſit cognitionis illius, quae eſt ex ſcientia* „.... *Porro Deus ſimpliciter iis nominibus exprimitur, quae abſolutam habent formae cujuſque, ac rei ſignificationem. Non enim ſolum ens vocatur, aut bonum, aut ſapiens, juſtus, et reliqua; ſed etiam* [illegible], *quam entitatem*

CAPUT VI.

Fauſtus Manichaeorum ſui temporis princeps de infinita Dei Perfectione detrahens confutatur.

QUamquam a Manichaeis, non tam ingenio valentibus, quam impietate veſanis, plurima contra Dei Opt. Max. bonitatem atque virtutem excogitata ſunt; nihil tamen, opinor, aut magis horrendum ab illis, aut magis abſurdum afferri potuit, quam illa Fauſti apud Auguſtinum, quae totidem ipſius verbis afferimus „ *Summum, et verum Deum; utrum ſit infinitus, necne, ſi quaeritur, de hoc loco boni, et mali contrarietas breviter poterit edocere: quandoquidem, ſi non eſt Malum, profecto infinitus eſt Deus. Habet autem finem, ſi malum eſt. Non igitur infinitus eſt* „.

Satiſne cogitat Fauſtus iſta quae dicit? Mala igitur, quae ſunt, aut eſſe poſſunt, impediunt, quominus infinitum Bonum ineſſe dicatur Deo? quid? an Mala ipſa Deum aggrediuntur, af-

tem dicunt, bonitas, ſapientia, juſtitia. Quare ſine ullo limite, ac termino convenit illi tota rei ſignificatae, quanta poteſt cogitari maxima, perfectio „ Alia vide apud ipſum. Abſtinuimus autem a celeberrimo etiam argumento D. Thomae (*I.* P. Q. 4. *a.* 1.) non quo nullam ei vim ineſſe arbitremur, ſed quod innumerabilibus hac aetate ratiunculis excipiatur. Deum eſſe perfectiſſimum inde colligit, quod ſit maxime *actu*, ac *potentiae* nihil habeat admixtum. „ *Secundum hoc enim*, inquit, *dicitur aliquid eſſe perfectum, ſecundum quod eſt actu. Nam perfectum dicitur, cui nihil deeſt, ſecundum modum ſuae perfectionis* „.

afficiunt? an quidquam ejus Naturae ac Bonitati detrahunt? Minime, inquit. At Mala praeſtant, ne infinita ſint Bona „ *Illic enim*, inquit, *eſſe Mala incipiunt*, *ubi Bonorum eſt finis* „ Ex quo conſequitur, primo quidem ut infinita non poſsit Deus: deinde, ut ne ipſe quidem ſit infinitus; cui neque adſint infinita Bona, neque adeſſe queant; cui regnum ſit, maximum illud quidem, at ſuis aliquando finibus circumſeptum.

Ita qui diſputat, neque Boni, neque Mali rationem profecto novit. Cum enim, Philoſophis conſentientibus, Boni ratio ſit in eo, quod appeti poſsit; poſsint autem appeti majora ſemper ac majora vel fortunae munera, vel naturae, ſequitur hinc, ut nullus omnino dicatur eſſe Bonorum finis. Quid enim efficit, ut, ſi praeſtans aliqua Natura Bonum aliquod quantumvis ingens conſecuta fuerit, nihil eſſe, nihil fingi animo poſsit, quod appetatur, nobilius atque praeſtantius?

Itaque ſi Mala, quae Manichaeorum tenebricoſa ſomniaverunt ingenia, eſſe non poſſint, ubi nullus Bonorum finis eſſe dicatur, hinc potius nulla exiſtere hujuſmodi Mala colligendum eſt. Et re quidem vera nulla eſse poteſt Natura omni ex parte mala, quae nihil Boni habeat admixtum, per ſe ac neceſſario exiſtens, a qua, tamquam a mari flumina, cujuſque generis Mala, ſine ulla concretione Boni, perpetuo deriventur. Et de hac quidem re ſuo loco fuſius.

Nunc

Nunc hactenus admirabor Fauſti tarditatem, quod in ipſis Malis eſſe quaedam Bona non intelligat. Etenim adeo concedi non debet, ibi Mala incipere, ubi Bonorum eſt finis, ut ipſa Mala, quae dicimus, futura Mala non eſſent, niſi Bonum aliquod afficerent, atque corrumperent.

Fac enim aliquid eſſe natura Malum. Jam illud eſt, quod eſſe debet. Non igitur amplius eſt Malum. Neque enim ea mala res, aut natura eſt, quae ſuum obtinet in tota rerum univerſitate locum. Sane ſi Lictor quiſpiam, ſi Satelles, aut Carnifex vituperari non poſſunt, cum praeſtant id, quod concredita ipſis a Republica munera poſtulant, multo minus ea res vituperari unquam poſſet, quae totum id efficeret, aut etiam eſſet, quod ut efficiat, aut ſit, ipſa, quam exuere neque debet, neque poteſt, natura flagitat. Quidquid ergo Malum eſt, eo ſcilicet Malum eſt, quod naturam per ſe bonam aut deſtruit, aut foedat, aut aliis quibuſcumque damnis vel moleſtiis afficit.

Non igitur illic eſſe Mala incipiunt, ubi Bonorum eſt finis: at ubicumque Mala ſunt, ibi et Bona ſint aliqua neceſſe eſt. Itaque nullus eſt Bonorum finis; ſiquidem ea ratio corruit, quae Fauſto auctore Bonis finem imponere videbatur.

At ſtultitiam hominis non ſibi conſtantis alia etiam ratione cognoſcere licet. Id enim ipſe vult, id contendit, ut Deus Bonorum Au-

 ctor,

ctor, quamquam non eſt infinitus, ipſe tamen ex omni parte ſit Bonus; neque in eo Mali quidpiam inveniri poſsit, aut non omnino ſtulta cogitatione fingi. Atqui ſi finitus eſt, Mali aliquid habet admixtum. Aut igitur Deus Opt. Max. non omni ex parte Bonus tibi dicendus eſt, aut idem Infinitus a te dicatur, omnino neceſſe eſt.

Nam ſi finitus eſt, rogo primum a quo? Etenim ſine ratione ſufficiente, ut ſaepe dicimus, nihil eſt, nihil eſſe poteſt. Num a Natura ſua? Non dices, opinor. Mala enim ex aliqua parte dicenda eſſet, quae finem ſuis Bonis poneret, atque hinc aliqua Bona, videlicet quaecumque non habet, perpetuo repudiaret.

Num a principio Malorum? Ita dices, opinor. Id enim tua doctrina ſert, id tua, quae recitavimus, indicant verba. At quaenam te, Fauſte, tam perdita Natura, tam invida in eum furorem egit, ut ſentire non poſſes, eum, qui a Principio Malorum coerceatur, ne Bona plurima conſequi poſſit, non omni ex parte Beatum, atque hinc non omni prorſus Malo carentem, intelligi convenire?

Quid? nonne miſerum eſt, nonne malum acerbiſſimi hoſtis et iniquiſſimi furorem non poſſe retundere? Nonne jure Deo dolendum eſt, quod infinita Bona Mali Principium ſibi praeripiat, et imperium, quod ſine illo infinitum eſſet, exiguis profecto finibus coerceatur? Quid-

quid

quid enim finitum eſt, id, ſi cum Infinito comparetur, exiguum profecto vel haberi, vel dici debet. Malum ineſſe, quod Metaphyſicum appellant, rebus quibuſcumque creatis, Philoſophi docent, quod res quaecumque creatae bonitatem atque virtutem omnino finitam non habere non poſſint. Quanto magis ergo Malum hujuſmodi Deum ipſum afficeret, ſiquidem non ab ipſa natura ſua, non a voluntate, ſed a teterrimo inimico id pateretur, ut non omne Bonum haberet, quod ardenti animo concupiſceret!

At contra Fauſtum hoc loco ſatis. Viderint interim recentiores noſtri a Baylio ſcilicet moderati homines in diſputando et graves, quam ridiculae, ne dicam hoc loco nefariae, doctrinae patrocinium ſuſcipiant, ubi Manichaeorum opiniones Chriſtianae Religioni vix dubitant anteferre.

CAPUT VII.

Confutatur inſania Conradi Vorſtii.

DIci vix poteſt in quantas Conradus ille Vorſtius e Calvini ſchola Theologus, qui contra infinitam Dei Perfectionem diſputavit, doctorum hominum reprehenſiones incurrerit. Argumentis enim uſus eſt ita debilibus et ineptis, ut voluiſſe quidem Deo maximam detrahere gloriam, non autem ſciviſſe aut potuiſſe videatur (1).

(1) *In Tractatu de Divinis Attributis.*

Natura, inquit, ipſius Dei ab Angelis videri poteſt. Quid inde conficit? Ergo infinita non eſt. Mirum ſane conſecutionis genus! quod ſi quaeras qua ratione cum antecedentibus conjungatur, Oedipo fortaſſe ſit opus.

Quid? Infinitum a Finito videri non poteſt? Infinita veritas intelligentiae finitae aciem neceſſario fugit? Quomodo haec ſumis, quae ſi adverſarius verbo neget, ultra non habeas quo progrediaris? At ego non modo nego, ſed in hoc ipſo te ſtultitiae convinco. Quidquid enim infinitum eſt, quamquam ex omni parte perfectam intelligentiae creatae comprehenſionem effugit, aliqua tamen ratione per eamdem poteſt attingi. Cum enim Infinitum omnia complectatur, habet utique in ſe tum quod infinitae menti, tum quod finitae ſatisfacere omnino poſſit.

Illud autem, qui Chriſtianus dici vis, quomodo es oblitus: non ipſius Naturae, ſed Gratiae viribus Eſſentiam divinam et ab Angelis et ab hominibus facie ad faciem, ut divina Scriptura loquitur, poſſe videri? Sin autem haec memoria tenes, quomodo ſentis, infinitum Deum id efficere nullo modo poſſe, ut Eſſentiam ſuam ea ratione, quam *viſionem intuitivam* Theologi vocant, beatae mentes aeterno tempore contemplentur?

Nihil ad inſaniam a Vorſtio in hoc argumento prolatam addi poſſe videretur, niſi multo magis ineptam ratiunculam continuo ſubjeciſſet.

ſet. Nulla creata res, ait, infinita eſt: ergo nec Deus: perinde ac ſi, quae creavit opera Deus, tam perfecta quam ipſe Deus exiſtere debuiſſent.

Haec jam oratio non a philoſopho, ſed ab amentium cuſtode comprimenda eſt. Quid enim affert, quod ſano homine dignum ſit? Qui leviter etiam ſapiunt, ex eo quod creatae res eaedem finitae ſint, contrarium omnino colligunt. Eo enim finitae ſunt, quod illae quidquid habent precario, ut ita dicam, ab alio receperint, ut multis argumentis perſpicere licet. Ergo ex contrario, qui non ab alio quidquam accepit ad ſuam naturam, virtutem, aut felicitatem augendam ullo modo pertinens, finitus eſſe non poterit.

Tertium denique Vorſtii argumentum nihilo ſapientius eſt quam praecedentia. Potentia, inquit, ſupremi Numinis ad ea non extenditur, quae fieri non poſſunt: ergo non eſt infinita. Quaſi vero de ratione verae Potentiae foret, ut ad ea pertineret, quae nullo modo poſſint exiſtere. Pugnantia ſe loqui non videt. Neque enim ea non poſſent exiſtere, ſi vera Potentia eadem utcumque poſſet attingere. Atquì ſi de ratione verae Potentiae non eſt, ut ad illa extendatur, ex eo quod non extendatur, aliquid Potentiae divinae deeſſe, nemo niſi ſtultus concludere conabitur.

Sapienter enim Auguſtinus (1) ad hanc rem profert exemplum militis ita ſtrenui, ut poſſit quidem

(1) *In libris de Civitate Dei.*

Digitized by Google

dem ſemper vincere adverſarios ſuos, numquam tamen ab iisdem ipſe vinci poſſit: non poſſe autem vinci non eſt imbecillitas, at vera Potentia. Ita quod Deus mentiri nequeat, creare hominem non hominem, et caetera hujuſmodi.

Caetera nihilo meliora, quae contra plures Dei Opt. Max. dotes et attributa impotens ingenium Vorſtii profudit, ſuis quaeque locis refutanda relinquimus.

CAPUT VIII.

De iis, quae Athei recentiores, praecipuae Mirabodius, contra infinitam Dei Perfectionem objicere conſueverunt.

CUm judicium omne, quod non ſit in ſenſibus, ab Epicuro docti atque eruditi temporibus etiam noſtris Athei repudiaverint; mirum profecto non eſt multa contra divinam Perfectionem, quae neque in oculos, neque in alium cujuſquemodi ſenſum incurrat, eosdem immani quadam et intolerabili audacia diſſeruiſſe. Quibus illud ſolemne eſt, ac tertio quoque verbo adhibitum: nihil eſſe inter vera ponendum, cujus nullam animo notionem efformare poſſimus. Jam quis, inquiunt, Infinitatem animo complecti queat, aut quis, cum hujuſmodi nomen adhibet, quidquam aliud, niſi privationem quam-

dam,

dam, aut rei negationem animo verſet? Infinitas ergo nihil eſt; quam propterea qui tantopere laudant, omnino deſipiunt.

Parum admodum ab hoc furore abſuit Hobbeſius: qui ſcriptor ita ſemper de Deo diſſeruit, ut pluribus ejus notionem e mentibus hominum abradere voluiſſe, omnibus autem eamdem animo ſuo cimmaeriis tenebris obſitam geſſiſſe videatur. Ejus autem ea verba ſunt „ *Quando enim dicimus aliquid eſſe infinitum, non aliquid in re ſignificamus, ſed impotentiam in animo noſtro, tamquam ſi diceremus, neſcire nos, an, et ubi terminetur* „ (1) Hinc ipſius Dei nomen a nobis pronunciari, non ut ipſum intelligamus, cum plane intelligi, hoc eſt comprehendi animo, nequeat, ſed tantum ut honoremus, idem Hobbeſius docuit. (2)

Similia in hanc rem multa diſputat princeps Atheorum noſtri temporis Mirabodius. Et is quidem

(1) In libro *de Cive*; quae repetit etiam in alio libro, cui *Leviathan* titulum fecit, praeſertim *Cap.* III. *p.* 12. De Hobbeſio vide Moshemium *ad Cudvvorth. C. V. S.* 1. §. 13. *p.* 761.

(2) Ad haec Hobbeſii verba ſcripſit Buddeus (*Traité de l'Atheiſme ec.* *Cap.* VI. §. VII. *p.* 241.) „ *Il ſemble donner à entendre par ces paroles, qu' il a du reſpect, et de la vénération pour la Divinité; mais ſa véritable intention eſt de faire voir, qu' il n' y a nulle réalité dans l'idée de Dieu, et de ſes attributs; ou pour nous énoncer plus clairement, que les termes dont nous nous ſervons, pour exprimer l'idée de Dieu, et de ſes attributs ſont de purs mots qui ne ſignifient rien* „ Hinc Atheum proprie dictum fuiſſe Hobbeſium infert Buddeus in eodem libro, cujus gallica interpretatione a Ludovico Philone adornata utimur. Caeterum illud fateri veritatis nos cogit amor: nimium hic Hobbeſium a Buddeo premi. Non enim peſſimus ille Senex Deum omnino de medio ſuſtulit; quem quidem exiſtere ſuis in libris operoſe probat; at de Natura ipſius abſurdas horribileſque ſententias protulit, atque defendit. Vide noſtrum opus *De Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate*.

Digitized by Google

dem novos errores protulit ; aut potius antiquos nova quadam impiorum verborum atrocitate propoſuit (1). Quid enim ferox illius hac in re non audeat ingenium atque ſuperbia cum incredibili quadam temeritate conjuncta ? Nam et cum Dei Perfectionem laudamus , non intelligere nos ait , quid ſonet ea vox , quid ei ſubjiciatur ; ſiquidem Perfectionis ipſa notio ex iis eſt , inquit , quas *abſtractas* , *metaphyſicas* , *negativas* vocamus ; neque enim extra mentem noſtram exemplar aliquod exhibet , a quo profluxerit. Perfecta quaelibet res , inquit , aut imperfecta dicitur , quatenus aut utilis nobis aut inutilis accidat , vel jucunda denique , vel moleſta.

Haec atque alia ſimilia perditis ab hominibus diſputata vix , aut ne vix quidem , deſiderant orationem meam . Nam primum , ut egregie monuit Hancockius , Infinitatis divinae nomine non aliud , niſi Perfectio numeris , ut ita dicam , omnibus abſoluta venire debet ; ut ideo Deus Infinitus dicatur , quod non modo nullis ejus Natura

(1) Ex. cauſa (Syſtême de la Nature p. 58. et 59.) haec habet „ *Les attributs théologiques ou métaphyſiques de Dieu ne ſont que de pures négations des qualités , qui ſe trouvent dans l' homme , ou dans tous les êtres , qu' il connoît* „ Hinc ridet attributa Infinitatis, Æternitatis, Immutabilitatis : ad quem locum acute Bergierius advertit (*Exam. du Materialiſme To. II. p.* 71.) eum ſibi turpiter contradicere. Ipſe enim Mirabodius eadem de Materia diſertis verbis affirmat (*To.* II. *C.* 4. *p.* 104. *et* 136.) De illa enim dicit „ *eſt infinie , éternelle , immuable* „ Idem Atheus eodem volumine „ *L' homme a prétendu que pour être parfait , il falloit être comme lui ; voilà la ſource de tous ſes faux raiſonnemens ſur la Nature et ſur ſon Dieu* „ Idem alio loco „ *L' idée de la perfection eſt une idée abſtraite , métaphyſique , négative , qui n' a nul archetype ou modele hors de nous . Une choſe n' eſt parfaite ou imparfaite , qu' autant qu' elle nous eſt utile ou inutile , agréable ou déſagréable* „ Idem dixerat „ *Le mot infini ne préſente qu' une idée négative qui exclut toutes les bornes* „ Similia alibi ſaepius.

tura coerceatur limitibus, at nulla Virtus eidem, nulla Potentia, vel Bonum deſit, nullum deeſſe poſſit. Num hoc mediocres etiam mentes, etſi plurima de ipſo Deo percipere nequeunt, ut poſtea docebimus, non ſtatim agnoſcunt quale ſit? aut nihil ea verba ſignificant, quibus nihil gravius, nihil magnificentius uſurpare poſsimus? Hoc eſt vim afferre, Mirabodi, verbis, extorquere ex animis cognitiones, quibus imbuti ſumus.

Qui ſubtilius iſta rimantur in ipſa Infinitae Perfectionis notione agnoſcunt duo: alterum *poſitivum*, alterum *negativum* vocant. Primum illud eſt, quod Virtutes omnes ac Bona cujuſquemodi, ſecretis Malis omnibus, ita noſtris mentibus exhibet, ut nihil melius, nihil felicius, aut ullo modo perfectius animo complectamur. Alterum eſt, quod ea Bona finibus careant, quibus creatae quaelibet res neceſſario circumſcribuntur.

An haec duo nihil ſunt? An qui de Deo iſta praedicant, nihil afferunt? Bonumne nihil ſignificat? an cujuſquemodi Bona? an Malorum omnium privatio? an quod huic uni Naturae nulli ſint Bonorum conſtituti fines? Equidem haec omnia ſatis intelligere mihi videor. Tu, ſi nihil intelligas, vide ne animum a conſuetudine ſenſuum prae mentis imbecillitate traducere numquam poſſis.

Quid enim mereare, ut brutis tandem animantibus non omnino ſimilis eſſe velis? Illa, mihi crede, non altius aſſurgunt, illa nihil animo cernunt, quod oculos non pellat, vel aures, vel

Digitized by Google

ſenſus caeteros ab ipſa natura datos. At humana mens et acris, et ſagax, quae tot multa celerrime ſimul agitat, quae et cauſas rerum et conſecutiones videt, et ſimilitudines transfert, et diſjuncta conjungit, vera plurima percipit nullo modo ſenſibus uſurpanda.

At enim, inquiunt, quae vera appellas, non aliud niſi vanae rerum ſpecies, ac vana prorſus ſimulacra dicenda ſunt. Quid? Verum igitur nihil eſt, de quo tam acriter inter ſe docti homines diſputant? Quidquid aut non olet, aut non guſtatur, aut non tangitur, aut non auditur, aut non cernitur, nihil eſſe putandum eſt? Quomodo igitur verum eſt, non eſſe Deum, quod nimium ſaepe dicitis, cum non eſſe Deum ſenſus ipſi neque nuncient, neque nunciare poſſint? Verum nimirum illud eſt, quod in libris de Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate fuſius explicavi, nihil eſſe Atheorum genere ſtultius, nihil amentius, cum notiones ipſas hominum generi ab ipſa natura inditas penitus abjeciſſe videantur.

Quale autem illud eſt, quod Mirabodius ponit, nihil perfectum a nobis in ſuo genere dici, niſi quod utile nobis aut gratum accidat? Ita ne ſunt homines univerſi rudes, ita rerum ignari, ita expertes ingenii, ut iſta cogitent? Atquì ſaepe, quod nocet, in ſuo genere perfectum eſſe dicunt, et Leones et Tigres et alia hujuſmodi animalia hominibus inimica magis mirantur,

quam

Digitized by Google

quam aut Lepores aut Damas, quae prodeſſe poſſunt, ac ſolent; et ſuos ipſi hoſtes a fortitudine laudant, et, cum aliquid admiſerunt contra leges et inſtituta civitatis, juſtitiam plerumque Judicum meritas poenas infligentem vituperare non audent, et, ſiquidem animo excelſo ſint atque ad honeſtatem facto, laudare aliquando ſolent. Quae ſunt iſtae anguſtiae animi, ut ſi nullum ab aliqua re accipiamus emolumentum, ideo neque perfectam neque laude dignam eſſe dicendam exiſtimemus?

Nam quod Mirabodius ait, hominem cogitaſſe, quidquid perfectum eſt, ipſi homini ſimile eſſe oportere, vix in caput tribus Anticyris inſanabile cadere potuiſſe videretur. Quid? an pauca ſunt, quae Deo tribuant homines, neque tamen iidem aſſumant ſibi? Numne ſatis ipſi declarant, plurima humanae convenire naturae, quae ſcilicet quod infirma, quod turpia, quod indecora ſint, ad ipſum Deum transferri nequeant?

At hic etiam illud valet, quod ſignificavimus, cum contra Vorſtium ageremus; non tam orationis copiam quaerendam eſse quam modum. Quid enim negotii eſt haec errorum et mendaciorum portenta convincere? Quae ſi quid probant, illud profecto probant, infinitam Dei Perfectionem eſse oportere; contra quam ne una quidem non prorſus inefficax et inepta ratio poſſit ab acerbiſſimis ipſius Dei hoſtibus intorqueri.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Ex infinita Dei Perfectione ipſius divinae Naturae definitionem rite deſumi, et male Nevvtonum, Deitatem ipſam divina Dominatione conſtitui, docuiſſe.

EQuidem ad ipſius Dei Naturam ita exiſtimo Perfectionem in genere quovis infinitam pertinere, ut ex ea Definitionem ejusdem caeteras inter omnes optimam atque clariſſimam deſumi putem. Ea quippe omnium optima Definitio cenſenda eſt, quae melius quam alia quaelibet rei definitae naturam explicat. Hujuſmodi autem Definitio eſt Naturae divinae, quae ab infinita ejusdem Perfectione deſumitur; ut Deus *Ens*, quod Metaphyſici ajunt, *ſumme perfectum* intelligatur. Ea ſiquidem verba rite explicata, quidquid de Deo tenere poſſumus, exhibent.

Nam ſi Deus eſt ſumme Perfectus, et a Se eſt, et Cauſa rerum prima eſt, et mundi Auctor, et Bonorum Finis, et humanarum actionum Judex, et Mens ſoluta quaedam ac libera, ut Cicero, cum non inſaniret, Deum definivit, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia movens, ac motu ipſa praedita ſempiterno.

Hac etiam rite percepta Definitione ſatis ea contineri videntur, quae Socrates in Phaedone de Deo graviſſime pronunciavit; Ait enim eſse Deum,

Digitized by Google

Deum, Naturam quae ex omni parte ſibi conſtat, pulchritudinem ipſam, omnia in ſe complectentem (1) Quibus illa Speuſippi in definitionibus Platonicis ſimilia ſunt, ubi Deum eſſe ſtatuit „ *Vivens immortale, ad beatitudinem ſibi ſufficiens, eſſentiam ſempiternam, naturae ipſius Boni Cauſam* „ Similia etiam Stoici, ſimilia plerique veteres e Grecia Philoſophi magnificentiſſimis verbis attulerunt.

At, quod caput eſt, eadem Definitio complectitur, quae de praeſtantiſſima Natura Dei ſacra nos auctoritas docet. Quae omnia viſus eſt Gregorius Nazianzenus, gravis auctor in primis, in pauciora colligere, cum de Deo ſcripſit (2) „ *Univerſum Eſſe in ſe ipſo numquam inceptum, numquam deſiturum, complexus continet, tamquam infinitum quoddam, et interminatum Eſſentiae pelagus* „.

Profecto qui dicit, aliquid eſſe ſumme perfectum, ſiquidem ea verba proprie ſumi vult, dicit omnia complecti, quae expetenda, quae bona, quae perfecta ſunt. Hujuſmodi porro ſunt ea, quae de Deo didicimus, univerſa. Qui dicit ergo, Deum eſſe ſumme perfectum, idem omnia Bona Deo ineſſe teſtatur, quae ſcientia et cognitione comprehendimus, tum etiam illa, quae comprehendere nullo modo poſſumus.

At

(1) Ajebat enim eſſe Deum τὸ ἴσον, τὸ καλὸν, τὸ ἱκανόν.
(2) *In Oratione Natalitia*. Graecum habet „ Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον „

At reliquae ſupremi Numinis Definitiones, quamvis nec ineptae illae quidem, nec prorſus abjiciendae, eo tamen vitio laborare mihi videntur, quod unum dumtaxat, aut alterum Dei Attributum commendant, de aliis, quae ſunt infinita, ſilent.

At enim, ais, Attributa Dei omnia inter ſe apta, atque annexa ſunt. Ex uno quolibet reliqua colligere licet, ut ex eo colligi dicebamus, quod ipſe Deus infinita ſit praeditus Perfectione Naturae.

Facilis eſt ad iſta reſponſio. Aliud enim eſt, quod ipſa res ita ſe habeat, aliud, quod tua id Definitio explicet. Cum Deum *Ens a Se* dicis eſſe, non ſtatim intelligo, vel certe non ex vi tuorum verborum intelligo, vel Immenſum eſſe, vel Omnipotentem, vel ita Sapientem, ita Sanctum, ut nihil in quovis genere melius aut majus excogitare poſſimus. At haec omnia meis verbis, quantum ſat eſt, indicantur, cum Deum ab infinita Perfectione commendo. Etenim illa omnia in ſummae vel infinitae Perfectionis notione contineri eadem notio declarat, quae, ſumma Perfectio quid ſit, oſtendit.

Jam vero in noſtra Definitione, quod Deus ſit *Ens*, loco generis adhibetur; melius, niſi fallor, quam quod ſit Spiritus. Non haec eo dico, quod Joanni Clerico aſſentiar opinanti, tam bene Spiritus quam Corporis proprietates Deo convenire; ſed Spiritum potius dici quam Corpus,

pus, quod ea multo nobilior atque perfectior natura ſit, idque nomen divina Majeſtate dignius (1). Neque vero impiis illis, et aeque levibus ratiunculis moveor, quibus, cum Simonidis inſcitiam defenderet, Deum non poſſe Spiritum dici, Baylius oſtendere conatus eſt. At cum ipſe Deus Mens perfectiſſima ſit, quae multo magis caeteris praeſtet mentibus, quam haec aut muta animantia, aut caeteras creatas res antecellunt; cumque rerum omnium ac generum quorumcumque virtutes ac bona illius infinita Natura quadam eminenti ratione complectatur, non magnopere mihi placet, ut in Definitione vox ea, quamvis veriſſima, loco Generis uſurpetur; qua Deum ad unam rerum claſſem ita pertinere, ut non quidquid in aliis eſt boni atque perfecti Virtus ejus obtineat, aliqua ratione ſignificari videatur.

Caeterum ſi cui non ſatis iſta probentur, ac Dialecticae regulas tam ſancte ſervari cupiat, ut *Genus ultimum* adhuc requirat, atque ideo Deum appellari Spiritum in ipſa Definitione contendat, nimium pertinax non ero; non admodum repugnabo. Quid enim convenit ſpinoſas hujuſmodi quaeſtiones cum bonarum horarum jactura protrahere?

Simile quid etiam de *Differentia Prima* dictum intelligas. Infinita Perfectio ejus loco ponenda eſſe mihi videtur. Per eam enim Deus ab omni, quod non eſt Deus, neceſſario differre ſtatim quiſque percipit.

Quin

(1) *In Pneumatologia Sectione* III. *Cap.* 3. §. 17.

Quin etiam Scoti diſcipulis aſſentior, qui contra Thomiſtas alioſque Theologos Infinitatem Naturae divinae, hoc eſt infinitam ejus Perfectionem inſtar primi Attributi divini eſſe defendunt, a quo caetera quodammodo fluere intelligamus. Quod illi verbis in vetere ſchola magis uſitatis ita proponunt, ut dicant: *Infinitatem eſſe divinae Eſſentiae Conſtitutivum* (1).

Sane Infinitas hujuſmodi eſt Deo vel maxime propria. Nam quae Neceſſitas abſoluta fert, ut Deus exiſtat, fert etiam, ut nullum ipſi Bonum, nulla Perfectio deſit. Cur ergo Infinitas tamquam Dei Proprietas conſiderari non poteſt; quod adverſarii dicunt?

Reſpondent acuti quidam homines, Infinitatem ſine dubio in Natura divina eſſe, at non aliud niſi modum quemdam, ac veluti menſuram caeterarum Proprietatum eſſe intelligendam; ut videlicet ſingularis Proprietas ea non ſit, quae ad Proprietates univerſas ipſius Dei neceſſario pertineat.

Mihi

(1) Hujuſmodi *Conſtitutivum* Thomiſtae volunt eſſe ipſius Dei *Intellectionem*. Verum et ipſi Thomiſtae duas ſcinduntur in partes. Alii enim pro *Intellectione radicali* (ita enim loqui amant) alii pro *Intellectione actuali* pugnant. At bene multi Theologi, *Nullius aſſueti jurare in verba Magiſtri*, in ipſa Neceſſitate Exiſtendi *Conſtitutivum* hujuſmodi ponunt. Haec ſententia impugnari poteſt ex eo, quod *Neceſſitas Exiſtendi* non ſit, *in ſenſu*, quem vocant, *formali*, Natura ipſa divina; ſed potius ipſa ſit aliquid, quod Naturam divinam eſſe poſtulet. Ergo ab ipſa Natura divina diſtinguenda eſt, ea ratione qua Dei Attributa inter ſe diſtinguuntur. Ergo Eſſentiae divinae *Conſtitutivum* dici non debet. Caeterum omnes allatae ſententiae ſatis ex eo convelluntur, quod aliquid afferant, unde reliqua Dei Attributa manare, non ita bene percipimus. Saltem ea ſententia, quam nos defendimus, aliquid affert multo clarius, quam reliquae, de quibus diximus.

Digitized by Google

Mihi quidem tota res facili diſtinctione videtur poſſe componi. Si enim Infinitas tantummodo conſideretur, ut aliquid hanc aut illam Dei Proprietatem, puta Sapientiam, Potentiam, Bonitatem afficiens, hac ratione ſingularis ipſa Proprietas vocari non debet. At ſi conſideretur, ut maximum quoddam Bonum in ipſius Dei Natura neceſſario exiſtens, tunc non minus Infinita Perfectio, quam alia quaelibet Virtus Dei Proprietas et Attributum haberi poteſt, ac dici.

Et re quidem vera hoc Bonum in Deo intelligendum eſt, quamvis caeterorum Bonorum conſiderationem tantiſper omittamus; quod ſcilicet ejus Natura infinite perfecta ſit. Quidquid enim non eſt ullo modo perfectum in ea Natura locum invenire non poteſt. Neque vero tantum non poteſt, quod cum hoc, aut illo peculiari attributo pugnet, ſed etiam quod cum abſoluta Neceſſitate pugnet, quae nimirum omnino flagitat, ut ipſe Deus ſit infinite perfectus. Haec abſoluta Neceſſitas in Deo certe eſt. Sunt enim in eo omnia Bona, ut adverſarii fatentur. Quis autem Neceſſitatem illam eſſe maximum Bonum negare audeat?

At ſi Proprietatem eam, aut *Differentiam Primam*, quam dicimus, dici non poſſe, magna contentione diſputes, etiam hic non me contumacem in mea ſententia defendenda reperies. Rem tamen ita componam. Dialecticae leges dicam habere locum, ubi Definitioni clari-

 tatem

rutem ac lucem ſint aliaturae. Itaque ſi non facile in re noſtra ſervari poſſint, quod agamus de praeſtantiſſima Natura, de qua multo plura ſint, quae neſciamus, quam quae ſciamus, non erunt illae quidem contemnendae, aut repudiandae. Verum intelligendum erit, Definitionem omnium optimam illam denique haberi oportere, quae melius quam alia quaevis rei definitae naturam explicet. Hujuſmodi eſſe Definitionem, quam adhibuimus, facile omnes lectores intelligunt non contentionis cupidiores quam veritatis.

Alia omittimus in alio libro a nobis in hanc rem diſputata. Quo loco celeberrimi viri Iſaaci Nevvtoni, melioris profecto Aſtronomi ac Geometrae quam Metaphyſici, Definitionem Naturae divinae rejecimus; quamquam et illud non leviter indicavimus, ſuſpicari nos, non tam accuratam Dei Definitionem, quam vocis ejus qualemcumque explicationem voluiſſe Nevvtonum afferre „ *Deus*, inquit (1), *eſt vox relativa, et ad ſervos refertur, et Deitas eſt Dominatio Dei non in corpus proprium, ſed in ſervos. Deus ſummus eſt Ens aeternum, infinitum, abſolute perfectum; ſed Ens utcumque perfectum ſine dominio non eſt Dominus Deus. Dicimus enim Deus meus, Deus veſter, Deus Iſraëlis; non dicimus Infinitus meus, Infinitus veſter, Infinitus Iſraëlis; non dicimus Perfectus meus, Perfe-*

(1) *Principior. Mathemat. L. III. p.* 482.

Digitized by Google

ſectus veſter, Perfectus Iſraëlis. Hae appellationes relationem non habent ad ſervos. Vox Deus paſſim ſignificat Dominum; ſed omnis Dominus non eſt Deus„.

Caeterum et haec ipſa vocis explicatio non ſatis arridet. Nego enim eam vocem ad ſervos referri; ut non aliud nomine Deitatis intelligatur, niſi Dominatio Dei. Non id Graecae vocis origo, non id patrius mos, aut Latina conſuetudo declarat. Quotquot enim Graece aut Latine luculenter ſciunt, Deum eſſe nomen intelligunt ſupremae Majeſtatis atque Praeſtantiae, quod tam bene pro tempore uſurpetur, quo plurimi ſint eidem Servi, atque Miniſtri, quam pro tempore illo, ſi tempus appellari poteſt, vel pro tota potius aeternitate, qua nondum extra ſe quidquam effecerat.

Quale autem illud videtur, quod ſubdit Nevvtonus, Deum meum, Deum veſtrum, Deum Iſraëlis appellari; non autem vel Æterni, vel Infiniti, vel Perfecti nomina cum iiſdem adjunctis uſurpari? Quis neſcit in ratione loquendi conſuetudinem praecipue ſpectari oportere. Homo meus, aut tuus, aliquis dici poteſt, ac ſolet. Imperatorem ſuum rite milites aliquem appellant, atque ſalutant. Quam inepte *animal rationale* tuum idem homo diceretur, aut meum! Quam inſulſe milites illum hominem, qui ſit a Rege ſuper exercitum conſtitutus, Ducem belli adminiſtrandi ſuum appellarent! Simile quid in re

 no-

noſtra contingit. Similis nempe conſuetudo fert, ut Deus Iſraelis, non autem Iſraelis Infinite Perfectus, aut Ens Iſraelis Optimum ac Praeſtantiſſimum rite dicatur.

Ratio autem conſuetudinis hujus multiplex eſſe poteſt. Hic meminiſſe ſufficiat, quam variae fuerint hominum, de natura et numero Deorum, diſcrepanteſque ſententiae. Hinc ſcilicet factum eſt, ut, quem Hebraei Deum agnoſcebant, ac verebantur tanto nomine dignum, Deus Hebraeorum, Deus Iſraelis appellaretur. Contra vero, quos caeterae gentes colebant, Dii Gentium dicerentur; et alii quidem Dii Phoenicum, alii Quiritum, alii caeterorum. Aliquando etiam id nomen adhibetur, cum iisdem adjunctis, ut praecipua cura ſignificetur, ac providentia, quam pro nonnullis hominibus Deus ipſe gerit. Ea etiam ratione Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus Iſraelis in iisdem ſacris paginis dicitur. Denique fatendum eſt, non raro ita loqui homines, ut Nevvtonus advertit, quod ſupremum ipſius Imperium, aut Dominationem indicatam velint. Id in illis ipſius Dei verbis locum habere mihi videtur, quibus ait „ *Ego ſum Dominus Deus tuus ec.* „ Quod ſane mirum videri non debet. Cum enim Deus Infinitae ſit Perfectionis atque Excellentiae nomen, neceſſario rerum omnium Dominus, ac Imperator habendus eſt. Id plerumque homines ac facilius cogitant, cum de Deo loquuntur; ex quo appellationes illae *Deus meus*, *Deus veſter*, *Deus Iſraëlis*, profluxerunt. At

At cur eadem ratione non dicitur, *Infinitus meus*, *Infinitus veſter*, *Infinitus Iſraëlis?* Poſſet id utique dici, ſi uſus recepiſſet. At cur non receperit, etiam afferre queo. Etenim id nomen aliquid nimis aperte ſignificat, atque praeſefert, quod longe latius pateat, vel potius longe latius patere videatur, quam quidquid Imperii vel Dominationis divinae nomine deſignamus. Ipſa vox, inquam, ſtatim admonet, nullos eſſe vel ſpatii vel temporis vel ipſius virtutis aut perfectionis fines Naturae divinae conſtitutos. Neque vero ita vulgo homines eam vocem uſurpant, ut ejus poteſtatem ad ea praeſertim ſignificanda ſenſim detorſerint, quae ſaepius cogitant homines atque facilius, cum de Deo loquuntur.

Atqui ſaltem hinc, ais, ſua ſponte deſcendit, non idem ſonare vocem *Deus*, ac vocem *Infinitus*, aliaſve ſimiles. Nimirum hic non difficili diſtinctione opus eſt. Si vox *Deus* ea ratione ſumatur, qua tunc ſumunt homines, cum de ſuprema Dei Dominatione loquuntur, ut non de caeteris ipſius attributis quidquam animo verſent, ita certe vox ea minus late patet, quam aliae quaedam, de quibus modo diximus. At, ſi vox eadem ita ſumatur, ut ſumunt iidem homines, cum, quid ipſe Deus in ſe ſit, utcumque conſiderant, aut quamdam ejus Naturae, ut mancam et imperfectam notionem animo concipiunt, aut verſant, tunc idem ſonat ea vox, ac verba illa *Infinite Perfectus*, *Ens optimum*, *ac praeſtantiſ-*

ſimum

ſimum, ac ſi qua ſunt alia ſummam Divinae Naturae Perfectionem exprimentia.

Quae cum ita ſint, vides, opinor, quam falſo ſcripſerit illa Nevvtonus „ *Dominatio Entis ſpiritualis Deum conſtituit, vera verum, ſumma ſummum, ficta fictum* „ Deus enimvero, ſi quo modo conſtitui dicendus eſt, ab eo conſtituitur, quod in ejus natura praecipuum eſt, aut potius quod aliqua ratione praecipuum nobis apparet. Quidquid enim in ipſo Deo eſt, aeque magnum eſt; praeſertim cum ab ipſa Dei Natura per intelligentiam tantummodo noſtram diſtinguatur, ut alio loco docebimus. At majus videtur nobis, atque praeſtantius infinita Perfectione praeditum eſſe, quam Dominatio ſit in miſeros homunciones, quin et omnia, quae exiſtant, aut etiam poſſint exiſtere. Ab infinita igitur Perfectione Dei, non ab Imperio tantum ipſius, aut Dominatione Divinitatem ipſam conſtitui dicendum eſt.

Id ipſa Nevvtoni verba fateri cogunt, quae continuo ſubjicit „ *Ex Dominatione vera*, inquit, *ſequitur Deum verum eſſe Vivum, Intelligentem, et Potentem: ex reliquis Perfectionibus ſummum eſſe, vel ſumme Perfectum* „ Nonne vides, quam parum inter ſe iſta cohaereant? Si enim ex Dominatione vera non ſequitur, Deum Summum eſſe, vel ſumme Perfectum, ſequitur, Dominationem non id eſſe, quod ipſam Deitatem utcumque conſtituat. Quidquid enim conſtituit Naturam rei debet, philoſophis fere omnibus auctoribus,

ribus,

ribus, radix eſſo omnium, cuicuimodi ſint, proprietatum ad rem eamdem pertinentium. Proprietatum enim ipſa Natura caput et origo eſt. Atquì neque dicit Nevvtonus, neque vero poteſt dicere: ſummae Dei Perfectionis divinam Dominationem eſſe principium: cum ex eo quidem intelligere poſſis, Dominum eſſe Deum rerum omnium, quod ſit infinite Perfectus; at eſſe Deum infinite Perfectum, ex eo tantum quod ſit rerum Dominus non continuo probare liceat. Abſurdum igitur eſt, ipſam Deitatem praepotenti Numinis ipſius Dominatione conſtitui.

Juvat autem hic advertere, quandoquidem ad communem hominum ſenſum ac loquendi conſuetudinem provocabat Nevvtonus, Definitionem a ſumma Dei Perfectione deſumptam vel ipſo generis humani conſenſu commendari. Optime enim in hanc rem Antonius Genuenſis illa ſcripſit „ *Deum eſſe id quo melius excogitari nequit, ſaepe definit Auguſtinus. Eamdem Dei notionem ſtatuit S. Anſelmus in Menologio. Eamdem poſuit et Carteſius in meditatione tertia* „ et aliquibus interjectis, quae nos etiam attulimus. „ *Spinoſa ipſe, tanta eſt veritatis vis! Deum habet Ens abſolute infinitum, hoc eſt ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam eſſentiam exprimit. Itaque ne Athei quidem a communi hac hominum perſuaſione in Dei natura deſcribenda abſcedere audent. Eadem vero perſuaſio, paulo licet involutior, inter omnes gentes reperitur, quarum*

ut

Digitized by Google

ut nulla eſt, quae non aliquam ſupremae hujus Mundi cauſae notionem habet, ita nulla, quae eam non concipiat velut infinite perfectam (1),,.

Genuenſis autem ipſius Definitio ad noſtram, quam defendimus, haud aegre revocatur. Ait enim,, *Deus eſt Ens aeternum, omniſcium, liberum, ab omni materiae compage ſegregatum, in ſe perfectiſſimum, ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimum, Univerſi cauſa, ejuſque optimus gubernator* ,, Profecto, ſi Deus eſt ſumme, hoc eſt infinite, Perfectus, omnia ea, quae Genuenſis colligit, et alia quae non colligit, innumerabilia, ſua Natura complectitur. Si quid enim ex iis deficere intelligatur, ſumme Perfectus intelligi non poteſt.

Caeterum ea verba, *Univerſi cauſa ejuſque optimus gubernator*, in Definitione, quae omnium accuratiſſima futura eſſet, omitti poterant: imo fortaſſe Definitionis Brevitati, quae maxime ſolet expeti, aliquid officere aliquis dixerit. Sed et majoris claritatis gratia tolerari poſſunt; ita ſcilicet, ut ad ipſam Dei Naturam, prout a nobis intelligitur, et ab Actione diſtinguitur, ea proprie pertinere non ſuſpicemur. Quamvis enim Univerſitatis rerum cauſa, et gubernator non eſſet Deus (quod profecto verum eſſet, niſi Mundum creare decreviſſet) ejus tamen perfectiſſima Natura eadem eſſet, quae nunc eſt, ſemperque futura eſt. Illi certe mihi probari non poſſunt, qui

(1) *Element. Metaph. Tom.* III. *p. m.* 24.

qui Dei Definitionem, ex eo quod Mundi ſit Auctor, neceſſario repeti putant: contra quos in Primo de Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate diſputavi.

CAPUT X.

Confutatur Baylii temeritas poetam Simonidem ex eo laudantis, quod non poſſe Deum ullo modo definiri, arbitratus fuerit.

EX iis, quae dicta ſunt hactenus, facile quiſque percipit, non ita Dei Naturam hominibus incognitam eſſe dicendam, ut, quod ſentit Baylius, ſatis apte definiri nulla ratione poſſit.

Neminem autem eſſe puto, vel a religionis amore hominem, vel ab ipſius hiſtoriae noſtrorum temporum cognitione, atque ſcientia laudatum, qui neſciat, quid moliatur, quid agat, religionis hoſtium ille dux atque magiſter, cum plures Ethnicorum ſententias aut Chriſtianae Fidei contrarias, aut certe cum eadem aegre componendas, magna quadam ingenii dexteritate commendat. Et ille quidem tam eleganti utitur oratione, atque tam blanda, ut facilius olim fuerit Sirenarum cantus ſevero animo negligere, atque contemnere, quam mediocris doctrinae homi-

nes non ſaepius in fraudem ab illo vel invitos induci. Haec ratio ſaepe nos cogit, ut apertum cum homine impio bellum geramus. Neque enim urbanitas id poſtulat, quod leves homines hiſce praeſertim temporibus jactant, ut, ne durius cum illo, vel cum aliis ejusdemmodi ſcriptoribus, agere videamur, veritatis aut religionis ipſius defenſionem omittendam eſſe, arbitremur.

Quis enim, ne longius ab eo digrediamur, quod propoſuimus, quis facile ſtomachum teneat ea legens, quae in articulo de Simonide non modo contra Tertullianum, ſed et contra Chriſtianorum doctrinam, atque adeo contra Deum ipſum Baylius ſcribere non erubuit? Primo quidem ea narrat, quae in libris de Natura Deorum Cicero copioſe perſecutus eſt „ *Nec ego nunc ipſe*, inquit, *aliquid afferam melius; ut enim modo dixi, omnibus fere in rebus, at maxime in phyſicis, quid non ſit citius, quam quid ſit, dixerim. Roges me; quid aut qualis ſit Deus: auctore utar Simonide; de quo cum quaeſiviſſet hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi cauſa ſibi unum diem poſtulavit. Cum idem ex eo poſtridie quaereret, biduum petivit; cum ſaepius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero quaereret, cur ita faceret, quia quanto, inquit, diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior. Sed Simonidem arbitror (non enim Poeta ſolum ſuavis, verum etiam caeteroqui doctus ſapienſque traditur) quia multa venirent in mentem acuta, atque ſubtilia*,

du-

Digitized by Google

dubitantem quid eorum eſſet veriſſimum, *deſperaſſe omnem veritatem* (1) „ deinde Baylius, a Pyrrhone ſcilicet doctus incertam de omnibus et ambiguam ferre ſententiam, non pauca diſputat, ut ſapientiam hac in re Simonidis oſtendat; non pauca contra Tertullianum affert, qui cum eadem de Thalete per Croeſum interrogato narraſſet, Chriſtianum quemlibet artificem de Deo loquentem Phyſicorum principi anteferre non dubitavit; non pauca vel ex Patribus vel ex aliis colligit auctoribus, ut ſuadeat, quid Deus omnino ſit, intelligi nullo modo poſſe.

Cujus quidem orationis caput eſt, non poſſe homines certum aliquod de Deo dogma ſtatuere, quo videlicet in ejusdem Naturae definitione utantur. Quidquid enim de Deo dixeris, multa, quae fuſe perſequitur, contra dici poſſe: de quo ſcilicet nec quod ſit Spiritus certo dignoſcamus, ut ea proprietate definientibus loco generis uti liceat.

Haec errorum portenta dicenda ſunt; quibus nihil aut magis impium in Deum, aut humano

 ge-

(1) His ex Cicerone recitatis ſubdit Baylius (*Diction. Art. Simonides Remarq. F*) „ *Prenez bien garde aux dernieres paroles de Ciceron: elles frapent au but, elles vont au fait. Simonides auroit pu répondre facilement, s' il éut voulu s' arreter aux idées populaires......... il prit du tems pour examiner la materie, il la tourna de tous les côtez, et parce que ſon eſprit lui ſuggéroit auſſi-tôt la refutation que l' invention de pluſieurs réponſes, il ne trouvoit rien de ſolide: il découvroit par tout un fort et un foible, et des profondeurs impénétrables: il craignit donc de ſe tromper, quelque dogme qu' il avançât pour établir la definition de Dieu: il n' eſpera plus de trouver la verité, et il quitta la partie. Un petit eſprit n' auroit pas été ſi délicat ec.* „ Tum, ut haec oſtendat, plurima contra Proprietates ipſius Dei, ab impiis etiam aliis allata, profert.

generi magis perniciosſum excogites. Quem enim ea relinquunt veritati locum, aut quid omnino ſine certa ulla veritatis cognitione futuri ſumus?

Nihil ergo, quod ſatis certum, quod ſatis exploratum videatur, de Natura divina tenere poſſumus? Quid? quod Omnipotens ea ſit, quod Sapientiſſima, quod Optima, parumne Mundi totius converſiones, ac motus, et adeo conſtantibus atque certis temperata legibus, tot rerum atque tantarum univerſitas docuit?

Omnia iſta, Baylius ait, incerta putanda ſunt: quippe cum ſpinoſae nimis atque difficiles ſuper iisdem quaeſtiones facile ſuboriantur (1).

Si res ita ſe habet, quid erit non incertum in tota natura rerum? quid, inquam, erit, ſi ratio iſta Baylii non ſit prorſus inepta, quod affirmare Sapientes, et caeteros docere audeant? Ne illud quidem poterit affirmari, de quo tantum dubitet, qui ſit Oreſte, aut Athamante dementior, Hominem eſſe animal rationis particeps. Etenim quam multa de ipſa natura animalis; quam multa de ratione; quam multa de conjunctione rerum, quae ſint ita diverſae, quaeri poſſunt, quae numquam ſatis ulla ſcientiae perveſtigatione teneantur.

Caeterum, quaecumque Baylii temeritas contra ſupremi Numinis attributa protulit, et facile ſoluta ſunt a Chriſtianis Auctoribus, et a nobis etiam

(1) Huc omnia collimare nobis videntur argumenta Baylii. Id enim tantummodo probarent, ſi quid probarent.

etiam ſuo loco ſolventur. Nunc hactenus admirabor ejus inconſtantiam, quod omnem a Simonide cognitionem veritatis de Natura divina deſperatam fuiſse dicat, ac deſperandam; qui tamen Simonides et eſſe Deum cognoverit, et cum eo, qui cognoverat, locuturus eſſet. Haec enim Baylius ipſe concedit.

Quid ergo? Si Deum eſſe tum Simonides, tum Hiero ſciebat, quomodo verum erit, nihil illum ſatis tuto docere de Natura divina potuiſſe? Aut, cum Deum eſse dicebat Simonides, aliquid mente verſabat, quod per eam vocem explicaretur, aut nihil. Si nihil, quomodo Deum exiſtere faſsus eſt? Idem enim, opinor, fuiſset dicere: Deus exiſtit; ac, exiſtit id, quod ego quid ſit, aut quale ſit, nulla ratione cognoſco. Sin autem aliquid; cur id Simonides afferre non potuit, ut percontanti, quid eſſet Deus? aliquo modo ſatisfaceret?

Nimirum, ait, non qualemcumque vocis explicationem, at definitionem ad omnes Logicae regulas exactam cupiebat Hiero. Primum id negare poſſum. Neque enim Cicero, neque alius veterum quidquam habet, ex quo colligere liceat, aliquid Siculum Tyrannum de praeceptis Dialecticae cogitaviſſe, cum quid ſit Deus a Simonide quaereret. Deinde fac, Hieronem cogitaviſſe. Profecto, qui Deum eſſe putat, aliquid eſſe putat ab omni re, quae non ſit Deus, omnino

di-

diſtinctum. At ſi diſtinctus ab omni quapiam re intelligitur Deus, aliqua ratio intelligitur, propter quam diſtinctus appareat. Cur ergo is, cui quidem certe verba non deerant ad animi ſui notiones apte declarandas, rationem eam non citius explicuit, quam omnino de veritate invenienda deſperaret? Aut cur ejus rationis explicatio, propter quam Deus cum omni alia re neceſſario differt, definitio appellari non poteſt?

Verba, inquit Baylius, in definitione adhibenda ita clara eſſe debent, ut nihil obſcurum, nihil non prorſus evidens prae ſe ferre videantur. Hujuſmodi verba Simonidi praeſto eſſe non poterant. Sapienter igitur a definiendo abſtinuit.

Quaero jam a Baylio, primum, cur non ſatis clara ea verba cenſenda ſint, quibus aliquid in Deum convenire ſignificamus, quod in res creatas nullo modo convenire, tum ratio, tum experientia ipſa demonſtrat? Si Deum *Ens* eſſe dico *ſumme atque infinite perfectum*; cui nimirum et nobiliſſima natura ſit, a nemine producta, et a nemine pendens; cujus Potentia, Sanctitas, Juſtitia, Miſericordia, Sapientia, Bonitas nullis poſſit limitibus circumſcribi; ſi quaedam alia claritatis amore adjunxero, ut Deus rerum omnium Creator, ac Moderator, hominum univerſorum Dominus, atque Judex, qui bonos praemiis, qui ſontes poenis afficiat, ſit exiſtimandus (quamquam haec omnia paucis iis verbis *Ens ſumme Perfe-*

ctum

ſtum ſatis apte continentur) haec omnia, inquam, ſi de Natura divina dixero, quid eſt, amabo, quod non clarum, quantum ſat eſt, mediocris etiam ingenii hominibus eſſe videatur?

De Natura divina, inquit, multa ſuperſunt, quae poſſint quaeri. Et per totam quidem aeternitatem plurima ſemper ſupererunt, ſiquidem ea Natura infinita ſtatuenda eſt. Non hinc tamen ſequitur, ut non ſatis clara mihi notio demonſtret, tum ea, quae attulimus, univerſa Dei propria eſſe; quamvis, qua ratione ſint, non ſatis clare percipiam (quae duo, numquam a Baylio diligenter animadverſa, tamen inter ſe omnino diverſa ſunt.) tum eadem ad homines, aut ad mentes alias etiam corpore carentes nullo modo poſſe transferri.

Deinde, ſi Baylio demus, non ſatis omnia verba, quibus uti poſſimus, cum quid ſit Deus docere cupimus, clara eſſe, quid tandem conſequitur? Nihil minus, quam prae veritatis deſperatione, quid ſit Deus? quaerentibus nullo modo reſpondendum eſſe. Melius enim eſt obſcuram, et mancam, ſed tamen omnino certam, quam de Deo nobis comparare potuimus, cognitionem tueri, quam, ſi nihil de illo ſcire nos, aut reſpondere poſſe dixerimus, Atheis ipſis, qui nihil putant eſſe Deum, omnino conſentire videamur.

Dialecticae autem non pauca de recta definitione praecepta ſunt. At intelligendum eſt, ea tantummodo, cum locum habere poſſunt, omnia

ſer-

ſervari oportere. Si quando non omnia locum habent, non idcirco tota res abjicienda eſt, ac de omni definitione, de omni veritatis inventione deſperandum. Praecepta ad eum finem comparata ſunt, ut, cum definitio ſit oratio, quae rei naturam breviter explicat, et accuratius explicet, quam fieri poſſit, et aptius, et clarius. At ſi non tam accurate, quam vellemus, neque tam apte, aut dilucide ſe definiri res ipſa concedat; ſi quaedam alia ſimilia praecepta non tam bene ſervari queant, quam cum de notiſſimis rebus habetur ſermo; ea ſemper optima Definitio cenſenda erit, quae rem definitam ab omni alia non definita ſecernat, et breviter ipſius rei naturam, quatenus a nobis cognoſci poteſt, exprimat, atque deſignet.

Hujuſmodi eſt ea, quam attulimus, Naturae divinae Definitio. Quam enim in aliam Naturam, niſi divinam, illa quadrare poteſt? aut quid ea non paucis verbis amplectitur, quod homines de Natura divina tum diſſerendi ratione, tum ſcientiae perveſtigatione comprehenderint?

Eam itaque Definitionem Naturae divinae, vel eam qualemcumque, ſi mavis ita vocare, nobiliſſimae veritatis explicationem afferre Simonidem ſatius erat, quam prorſus veritatem deſperare.

Quamquam video Simonidem ab optimis quibusdam laudari Scriptoribus, perinde ac ſi non aliud ſilentio ſuo ſignificare voluerit, niſi Deum, ut cognoſcatur, ut aliqua etiam ratione, quid ſit, in-

Digitized by Google

intelligatur (neque enim aliter cognoſci poſſet) numquam tamen ab hominibus tam clare percipi, ut non multo plura, et majora, et nobiliora de illo quaerenda, et inveſtiganda eſſe videantur. Hinc ea Leſcaloperii, quae non ſatis a Baylio intellecta ſunt „ *Quae Tertullianus*, inquit (1), *inſcitiae, alii modeſtiae dederunt. Atque utinam veteres philoſophi, et poëtae, quique illos conſecuti ſunt haeretici, hac in parte tam verecundi, quam Thales, aut Simonides fuiſſent; numquam profecto adeo abſurda, impia, et blaſphema divinae Naturae affinxiſſent, numquam impegiſſent in foediſſimos errores, in quos per ſummam impudentiam praeſidentes homunculos videmus, et dolemus impegiſſe. Nimirum tenemur omnes magno quodam ſciendi ſtudio, cognoſcendi vero Numinis multo majore: ex quo Deum quidem a nobis cognoſci velle licet intelligere; ſed intra fines praeſtitutos, et intra columnas, quibus ſuo ipſe quaſi digito inſcripſit, Ne plus ultra: ſunt enim divinis in rebus adyta quaedam, in quae magnus Deus noluit nos penetrare: quod ſi quis temeritate, et confidentia ſui elatus porro pergit, ac perrumpere hoc ſacrarium attentat, quo penitius ingreditur, eo denſiores illi tenebrae offunduntur, ut vel ſic et Naturae divinae Majeſtatem imperveſtigabilem, et humanae mentis imbecillitatem, ſi quid ſapit, agnoſcat, ac confiteri cum Simonide cogatur.*

L *Quanto*

(1) *In Comment. ad Libros Ciceronis de Natura Deorum. V. Lib. 1. p.* 84. 85.

Quanto diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior „.

Haec, inquam, et alia quaedam Leſcaloperii (1), quemadmodum et graviora quaedam Sanctorum Eccleſiae Patrum teſtimonia (2) perperam a Baylio intellecta ſunt. Putavit enim, aut ſe putare, ſimulavit, non aliud fere ea verba praeferre, praeter illa, quae tum ipſe, tum Petrus Charronus (3), de

(1) *Eodem libro p. 2.*

(2) Praeſertim locis duobus ſidit Baylius, altero Arnobii, Minutii Felicis altero. Arnobius enim *Lib. I. p. m.* 17. „ *O maxime*, inquit, *o ſumme rerum inviſibilium procreator! O ipſe inviſe, et nullis unquam comprehenſe naturis!... Prima.... tu cauſa es, locus rerum, ac ſpatium, fundamentum cunctorum quaecumque ſunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumſcriptio, qualitatis expers, quantitatis, ſine ſitu, motu, et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potis eſt ſignificatione verborum: qui, ut intelligaris, tacendum eſt; atque, ut per umbram te poſſit errans inveſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino mutiendum* „ Minutius autem Felix in *Octavio* „ *Nobis*, inquit; *ad intellectum pectus anguſtum eſt, et ideo ſic eum* (Deum) *digne aeſtimamus, dum inaeſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio: magnitudinem Dei, qui ſe putat noſſe, minuit: qui non vult minuere, non novit; nec nomen Deo quaeras* „.

(3) Auctor hic (*Pierre Charron*) ſi non male ſenſit, de quo nihil attinet hoc loco diſputare, peſſime certe locutus eſt non ita paucis in locis. Quod attinet ad rem noſtram, haec habet (*Liv. I. Ch. 5. des trois Veritez*) „ *Dieu, Déité, Eternité, toute-puiſſance, infinité, ce ne ſont que mots prononcez en l'air, et rien plus à nous: Ce ne ſont pas choſes maniables à l'entendement humain... Si tout ce que nous diſons et proferons de Dieu eſtoit jugé à la rigueur, ce ne ſeroit que vanité et ignorance. Dont diſoit un grand et ancien docteur, que parler de Dieu, même diſant choſes vrayes, il eſt très dangereux. La raiſon de ce dire eſt, qu' outre que telles et ſi hautes veritez ſe corrompent paſſantes par nos ſens, nos intelligences, et nos bouches, encores ne ſavons nous et ne pouvons être certains qu' elles ſoyent vrayes. C' eſt à l' hazard que nous rencontrons: car nous n' y voyons goutte, et ne ſavons que c' eſt, n' y quel il y faict. Or parler de Dieu en doute et incertitude, et comme a taſtons et par divination, il eſt dangereux, et ne ſavons ſi Dieu le trouve bon: ſi ce n' eſt que nous confions tant en ſa bonté, qu' il prend en bonne part tout ce que l' on dit de luy a bonne intention, et pour l' honnorer tant que l' on peut. Mais encores, qui ſait que cette confiance la luy ſoit agreable, et que la bonté divine eſt de ceſte ſorte, que de prendre en gré ce que l' on fait à bonne intention et pour l' honnorer?* „ Alia plura non minus abſurda eodem capite perſequitur; quae ſcilicet iiſdem rationibus, niſi fallor, ſatis ſuperque confutantur, quibus ipſius Dei Attributa probantur contra impios, ac defenduntur.

Digitized by Google

de cujus fide, ac pietate non levem a quibusdam religioſis hominibus motam fuiſſe ſuſpicionem novimus, de Natura divina docuerat.

At ea omnia, quae diximus, teſtimonia ne leviter quidem indicant, quod vult Baylius, nullam Dei definitionem non prorſus ineptam ab hominibus adornatam fuiſſe, cujus rei conjectura vel ex eo fieri poteſt, quod eadem fere ſcribat Auguſtinus (1), qui tamen et definit, quid ſit Deus, et eadem, qua nos, ratione definit (2). Non enim Scriptores illi ſentiunt, quod Baylius confidentiſſime ſumit, nihil prorſus affirmare nos poſſe de Deo, nihil prorſus intelligere, quod ad Naturam ipſius, Virtutemque pertineat. Non ita dementes ii Scriptores erant, ut iſta dicerent; non ita rerum ignari, non ita expertes erant ingenii, atque conſilii; neque tam pauca legerant, neque tam pauca quaerendo, atque inveſtigando cognoverant, ut non intelligerent ne poſſe quidem a nobis laudari Deum, ſi nullo modo Sanctitatem ipſius, ac Sapientiam, ac Virtutem, ſi, ut paucis omnia complectar, Perfectionem infinitam ipſius nullo modo cognoſcamus. Illud unice volebant, quod et nos volumus; neque poſse nos ipſius Dei Naturam omnino clara, et perfecta notione complecti, neque illam aſsequi rationem,

 qua

(1) Ita enim in uno ex Sermonibus ſuis apud Leſcaloperium *l. cit.* „ *Certe hoc eſt Deus, quod et, cum dicitur, non poteſt dici: cum aeſtimatur, non poteſt aeſtimari: cum comparatur, non poteſt comparari: cum definitur, ipſa definitione creſcit* „.

(2) *In locis allatis, et aliis de Doctrina Chriſtiana, et in libris Soliloquiorum.*

qua Sanctitas, et Sapientia, et attributa reliqua in eadem Natura ſint. At de his alibi fuſius.

Denique ad extremum, quod pertinet ad ipſum Simonidem, illud eſt advertendum: rationem, quare de Natura divina ſilendum eſse cenſuerit, a Leſcaloperio ex pluribus antiquis allatam, altera, quam Baylius ex Cicerone collegit, veriſimiliorem videri. Aliquot enim illius de Sapientia et Bonitate Divina ſententiae memorantur; quibus effici liceat, ut, non prorſus ab hominibus Dei Naturam ignorari, cenſuerit. Sed in his fuſius immorari, nihil neceſſe eſt.

CAPUT XI.

An argumentum Carteſii, quo, Deum a notione quam habemus, Entis infinite Perfecti, eſſe conatur oſtendere, validum cenſeri debeat?

DE infinita Dei Perfectione certiſsima ſcientia ita penitus acutiſsimi viri Renati Carteſii animo inſederat, ut ab ipſa, quam quiſque mente inſculptam gerit, Infiniti ac Perfecti notione, Deum Optimum Maximum exiſtere, perfacile ſeſe demonſtraturum eſse putaverit „ *Animus meus*, inquit (1), *conſiderans inter diverſas ideas, quas apud ſe habet, unam eſſe entis ſumme intelligentis, ſumme potentis, et ſumme per-*

(1) *Princip. Philoſ.* P. I. C. 14.

perfecti, quae omnium longe praecipua eſt, agnoſcit in ipſa exiſtentiam non poſſibilem, et contingentem tantum, quemadmodum in ideis omnibus aliarum rerum, quas diſtincte percipit, ſed omnino neceſſariam et aeternam. Atqui ex eo quod exempli gratia percipiat in idea trianguli neceſſario contineri tres ejus angulos aequales eſſe duobus rectis, plane ſibi perſuadet, triangulum tres angulos habere aequales duobus rectis: ita ex eo ſolo quod percipiat, exiſtentiam neceſſariam et aeternam in Entis ſumme perfecti idea contineri, plane concludere debet, Ens ſumme perfectum exiſtere. Magiſque hoc credet, ſi attendat, nullius alterius rei ideam apud ſe inveniri, in qua eodem modo neceſſariam exiſtentiam contineri animadvertat. Ex hoc enim intelliget, iſtam ideam Entis ſumme perfecti non eſſe a ſe effictam, nec exhibere chimaericam quamdam, ſed veram et immutabilem naturam, quaeque non poteſt non exiſtere, cum neceſſaria exiſtentia in ea contineatur „.

Hoc argumentum Carteſii, vel a Carteſio potius illuſtratum, a nobis ideo ſperni non poteſt quod a ſummis viris non leviter probatum fuerit. Nam vel ante Carteſium, non modo ab Anſelmo productum, ſed et ab Auguſtino excogitatum dicitur, et Scholaſtici vetuſtiores, quorum aliqui a Cardinali Ptolemaeo afferuntur (1), idem, alii clarius, obſcurius alii, propoſuerunt. Laudantur in hanc rem Aureolus, Ægydius, Dionyſius

(1) *In ſua Philoſophia*.

Digitized by Google

ſius Carthuſianus, Albertus Magnus, Liranus, Abulenſis, aliique. Recentiores etiam non pauci afferuntur, praeſertim Antonius Perezius, Honoratus Tournelyus, Ludovicus Thomaſinius, nec non Jacquelotius, Saurinus, Henricus Morus, Gaſtrellus, Lamyus, Mallebranchius, Stillingflitus, quin et ipſe Leibnitius, atque alii, quorum ſi quis auctoritatem contemnat, non aliud aget, quam ut a doctis hominibus ipſe contemptu digniſſimus exiſtimetur.

Fatendum tamen eſt, non eſſe rationem hanc tanti ponderis, ut, praeſertim ſi ſola ſit, ab Atheis non facile declinetur. Itaque Scriptores multi de Deo bene ſentientes eam non modo rejecerunt, ſed etiam argumentis oppugnarunt „ *Buddeus*, inquit Fabricius (1), *in Carteſii argumento reprehendit, quod ideam infiniti et perfecti, pro re infinita et perfecta, quae non niſi a Deo eſſe poſſit, venditet, et fallacia ambiguae locutionis deluſus ex eo, quod ens perfectiſſimum, ſiquidem exiſtat, neceſſario exiſtat, concluſerit illud etiam exiſtere. Joannes Norris negat primam ideam Dei eſſe, ut Ens perfectiſſimum cogitemus, ſed illud demum ideam Dei exiſtentis conſequi, veluti ideam trianguli conſequitur, quod dico: in illo latera junctim accepta ſunt tertio majora. A Chriſtiano Wolfio notatur, Carteſium ſupponere rem ab Atheo vocatam in dubium, quod ens perfectiſſimum exiſtere poſſit. Samueli Clar-*

(1) *Fabric. Delect. Argum. Cap. X.*

Digitized by Google

Clarkio argumenti bujus obſcuritas, et defectus videtur latere in eo, quod ad ideam nominalem, ſive definitionem entis per ſe exiſtentis praecipue ſe extendit, neque ſufficienti evidentia et conſequentiarum valido ſatis nexu applicatur ad ideam realem iſtius entis actu extra nos exiſtentis „ Quod omnes iſti Scriptores tam varia protulerint, atque diverſa; quin etiam inter ſe diſſentire viſi fuerint, ita Joannes Hookius interpretatur (1), ut putet, ipſius argumenti efficacitati, quod apte ſolvi non poſſit, eſſe tribuendum. Vereor ne graviter hac in re vir doctiſſimus hallucinetur. Citius enim ex eo contigiſſe dixerim, quod multis rationibus illud argumentum vexari poſſit.

Mihi quidem ea ratio palmaris videtur, quod Ens infinitum atque omni ex parte perfectum, non modo, ſi quo modo ſit, neceſſario exiſtere, ſed omnino eſſe debere, ſumat citius, quam probet. Quid enim, ſi reponat Atheus Ens infinite Perfectum inter Carteſii vortices, hoc eſt eadem in regione, in qua Chimaeram, aut Hippocentaurum, poſſe reperiri?

Scilicet, quod poſſit eſſe Bonum Infinitum, videlicet ipſe Deus, perſpicua ratione demonſtratur. Hinc autem inferri ſine dubio licet, ipſum exiſtere. Niſi enim exiſteret, eſſe non poſſet (2) At quod

(1) *Relig. Natur. Tom. I. P. I. ec. p. m. 66.*

(2) Hoc argumentum, quod nos hoc loco premimus, at ſupra dilatavimus, Deum exiſtere, ſatis oſtendit. Vide quae de illius efficacitate Scriptores

quod poſſit eſſe infinitum Bonum, non mihi ratio illa Carteſii ſatis oſtendit, quod infinitae Perfectionis in animo meo notionem, ſatis, ut ego arbitror, claram, perſpicuamque reperiam. Cur enim animus meus, qui tam ſaepe fallitur, atque tam turpiter, non poſſit rei, quae nullo modo poſſit eſſe, notionem ſibi fingere, quae ſatis clara, ſatis perſpicua videatur?

Saepius equidem dixi, verum illud eſſe, quod clara et aperta notio demonſtrat. At intelligendum eſt, cum a nobis iſta vel ab aliis dicuntur, ſermonem eſſe de notione, quae ferat et eſſe rem, et hoc modo, quo dicimus, eiſe vel ſaltem eſſe poſſe; non vero de notione, quae tantummodo ferat, quid res eſſet, aut eſſe poſſet, ſiquidem eſſe poſſet. Nam, ſi horologium ore inſtructum, et ex ore loquens animo fingam, horologii loquentis claram, perſpicuamque notionem cur habere non dicar? Numne tamen revera horologium loqui vel loqui poſſe concludam?

Alterius hujus generis notionem eſſe, de qua Carteſius, Atheus contendet. Ex eo enim, quod Deus ab omnibus *Ens ſumme Perfectum* intelligatur, effici dicet, ut Deus, ſiquidem ſit, aut eſſe poſſit, ſumme perfectus idem dicendus omnino ſit. De hoc claram, et evidentem ſibi notionem eſſe, dabit. At quod ſit, aut eſſe poſſit, idem

ptores Ephemeridum Trevulſianarum teſtati ſunt *ad An.* 1702. *Menſe Julio, art.* 2. Nos tamen multo majorem habere vim arbitramur ad infinitam Dei Perfectionem probandam contra eos, qui, praeſtantem quamdam exiſtere neceſſario Naturam, ultro concedunt.

idem enimvero praefracte negabit , neque tantum ex eo, quod eam notionem animo utcumque gerat , convinci poterit . Quid enim ſi ea notio animis non ab ipſa natura inſita, ſed per falſas opiniones, ut ſaepe in aliis rebus fieri novimus, inſculpta eſt?

Praeterea contendet Atheus, quomodo, quod exiſtat Deus, in ea notione continetur , qua , Natura infinite Perfecta quid ſit, intelligo, ita, quod Materia neceſſario ſit , in aeternae Materiae notione ſatis aperte contineri. Cur ergo, inquiet, ſi Carteſio, Deum exiſtere, mihi Materiam neceſſario exiſtere, colligere non liceat?

Atqui , pro Carteſio reſpondet Hookius „ *idea aeternae materiae factitia eſt , et falſum potius judicium , quam idea ſimplex , et nobis connaturalis* „ Idem paulo ſupra de horologio dixerat. Contendit ſcilicet, haec de notione *Entis ſumme Perfecti* Atheos jactare non poſſe . Sed hic etiam vereor, ut ſatis probet, quod dicit. Quid enim? an ita facile concedet Atheus, notionem illam et ſimplicem eſſe , ut ais, et ab ipſa natura inſitam?

Multa quidem in hanc rem ingenio praeſtans atque doctrina Scriptor idem attulerat; ſed quae tum aliis, tum etiam mihi, magis optata, quam perfecta , et concluſa videantur „ *Idea*, inquit, *iufiniti ſeu perfecti eſt ſimpliciſſima , omniſque compoſitionis expers . Nam infinitas ſeu perfectio eſt ens abſolute , cui nulli limites adjun-*

guntur „ Similia de infinita Cognitione , ſimilia de Potentia.

Sed iſta ſatiſne probat ? Aliud enim eſt , ſimplicem eſſe rem a notione expreſſam , aliud ſimplicem eſſe ipſam notionem. Simplex enim eſt, quod non habet partes ; neque vero partes habet infinita, et perfecta Natura. At ejus Naturae notio ex notionibus aliis conſurgere videtur . Ut caetera omittam, Bonum infinitum mihi eſt, quod et Bonum eſt, et nulli admiſcetur Malo, ſeu, quod eodem redit, nullo fine circumſcribitur, aut concluditur. Itaque duae ſaltem notiones junctae ſimul (nam et ſunt multo plures ; ſed non de omnibus dicere neceſſe eſt) duae ſaltem notiones, inquam, notionem efficiunt Infiniti Boni, quam omnino ſimplicem eſſe volebas .

Quod autem inſita ea notio ſit ab ipſa natura, ſine ullo miniſterio ſenſuum , aut ulla rationis ope , quam multis argumentis negari poteſt! Quotus enim quiſque nunc eſt inter philoſophos , qui ſententiam eam de ideis innatis amplectatur ? Jure ne an injuria derelicta ſit ea ſententia, nihil attinet diſputare . At certe jacet jam a multis annis, atque ita jacet, ut praeclare cum Atheis agi videatur, ſiquidem eis Philoſophorum ideas innatas negantium patrocinium adjungere velimus.

Jam ſi rationis uſu eadem notio comparata eſt, non ex eo tantum , quod in noſtris mentibus ea notio ſit, eſſe Deum, concludendum eſt,
ſed

ſed nos, cum notionem eamdem cudimus, non fuiſſe deceptos, oſtendamus oportet.

Hinc facile fere omnia corruunt, quae pro argumento Carteſii tum Hookius ipſe, tum celebres alii Scriptores olim attulerunt.

CAPUT XII.

Pulchritudo demonſtratur, quam infinita Dei Perfectio infert; nec non Verneji ſententia confutatur: Pulchritudinem de rebus corporea mole carentibus, proprie loquendo, praedicari non poſſe.

QUaenam potiſſimum, amice Lector, nos ratio moneat, ut, cum hactenus de infinita Dei Perfectione generatim conſiderata diſſeruerimus, aliquid in hac eadem diſputatione de infinita ipſius Pulchritudine dicamus; facile, opinor, ex ipſa notione Pulchritudinis intelligi licet, quam, ſin minus diſtinctam, ut Dialecticorum vocibus utar, at certe claram animo quiſque gerit. Quibus enim argumentis eſſe Deum infinite Perfectum oſtendimus, iisdem videlicet oſtenſum eſt, Deum eſſe infinite Pulchrum, quandoquidem quidquid eſt Bonum, idem in ſuo genere Pulchrum eſſe, facile acuti homines aſſentiuntur.

Sapienter enim illa D. Thomas, gravis auctor in primis „ *Pulchrum*, inquit, *et Bonum*

 in

Digitized by Google

in ſubjecto quidem ſunt idem, ſed ratione differunt; Nam Bonum proprie reſpicit appetitum, Pulchrum autem reſpicit vim cognoſcitivam (1) „ et alibi „ *Pulchrum eſt idem cum Bono, ſola ratione differens: addit ſupra Bonum quemdam ordinem ad vim cognoſcitivam* (2) „.

At enim fatendum eſt, ab hominibus otio doctrinaque abundantibus multa de vera Pulchritudinis notione diſputata eſſe, quae nobis in hoc opere non liceat prorſus omittere. Res enim nobis eſt praecipue cum impiis hominibus, qui omnia rident, omnia contemnunt, quae de ſupremo Numine magnificentiſſimis verbis ipſius cultores affirmant. Itaque accuratius, ineſſe Deo veram eamdemque infinitam Pulchritudinem ex infinita ejus Perfectione, ſi ita loqui fas eſt, effloreſcentem, oſtendamus. Id enim efficiet ratio, ut, quaecumque Pulchritudinis in genere definitio caeterarum optima eſſe dicatur, Deus idem non minus Pulcher, quam Bonus haberi debeat, ac dici.

Prin-

(1) I. P. *q.* 5. *art.* 4. *ad* 1.

(2) I. 2. *q.* 27. *art.* 1. *ad* 3. Fuſius haec a Petavio explicantur *Lib.* VI. *C.* 8. ubi *p. m.* 441. „ *Bonum*, inquit, *eſſe definivimus id, quod aptum eſt, et congruentiam quamdam habet. Hanc porro congruentiam non abſolute ſumi; ſed referri ad uſum aliquem, atque fructum; quod eſt appetitionis proprium. Hinc Bonum illud eſſe dicitur, quod omnia appetunt. At vero Pulchrum illa eſt ipſa congruentia, quae non appetitionem praeciſe reſpicit, ſed veram germanamque ſpeciem et abſolutum exemplar ſui, quam ideam* Pl*atonici nominant* „. Vide reliqua apud ipſum. Conſentiunt Recentiores, qui Bonum a Pulchro non poſſe niſi ratione diſtingui docent. Vide Chamberſium (*Chambers*) *in Dict. Art. de Pulchritudine*, Encyclopaediam Diderotianam *ib. ed. Luc. p.* 279. Spagnium *De Bono, Malo, et Pulchro p. m.* 319. qui alios etiam Auctores affert; et fallitur, ubi Articulum Encyclopaedicum *Beau* tribuit Yvoni, cum ipſius Diderotii ſit.

Digitized by Google

Principio ea definitio laudanda eſt, quae Petavii acerrimo placuit ingenio, eximiaeque doctrinae „ *Ad ſummam*, ait ille cum multa de Pulchritudinis notione diſputaſſet (1), *Pulchrum ita definiri poteſt, ut ſit id, cujus cognitio ideo delectationem affert, quia exemplari ſuo, ac formae primigeniae exacte reſpondet* „ Si res ita ſe habet, nihil Deo Pulchrius haberi poteſt, aut fingi.

Etenim ipſius divinae Naturae, quae infinita eſt, et infinitis, quae poſſent eſſe, naturis antecellit, ac praeſtat, nullum extra Naturam ipſam exemplar, vel ipſo conſentiente Platone, reperitur. Ipſa ſibi, ut ita dicam, menſura eſt, aut potius menſuram quamvis ipſa recuſat, atque arcet, ipſa ſibi eſt ordo, ipſa, non modo ut ſint Attributa flagitat, quibus viget, ſed qualia eſſe debeant, aut potius, quae debeant eſſe, conſtituit. Ex quo ſequitur, ut ea pulcherrima Natura ſit. Quid enim exemplari ſuo conformius eſſe poſſit, quam id, quod exemplar ſibi eſt, et modus, ſi tamen modus, et ratio?

Praeterea exemplar eſt Deus caeterarum omnium rerum, tum quae ſint, tum quae poſſint exiſtere; ſiquidem prima rerum omnium cauſa eſt, infinita pollens, ut vidimus, perfectione naturae.

Quid enim? An Deus, cum vult aliquid condere, neceſſario Formas neſcio quas extra mentem ſuam exiſtentes, atque ſecretas intuebitur;

(1) *Loc. cit. p. m.* 442.

tur; quod Platonem docuiſſe, non pauci putant? Id ſi ita eſt aliquod Bonum deerit illi, cui nullum Bonum deeſſe queat. Perfectior enim ea mens eſt, quae rerum ſpecies, et ἰδέας in ſe ipſa continet, atque tuetur, quam quae, ut aliquid ſapiat, ad externas formas neceſſario confugiat.

Jam vero, ut facile vides, pulcherrimae res poſſunt eſſe, quarum numerus nulla unquam ratione definiatur. Eſt igitur earum in divina Mente exemplar, a Mente ipſa minime ſeparatum. Hinc autem intelligis, quam pulchra ſit ea Mens, atque adeo illa Natura, quae ab ipſa Mente nullo modo diſtinguitur. Quod enim Scholaſticis in ore fuit contritum vetuſtate proverbium „ *Propter quod unumquodque tale et illud magis* „ tale eſt, ut multo elegantius dici poſſit, ſed verius eſſe non poſſit.

Quod autem Naturae divinae cognitio, et contemplatio maximam afferat animi voluptatem, oratione non indiget. Etenim rei quamvis creatae, ſed tamen aliquo modo perfectae, conſideratio eo majorem parit animi oblectationem, quo nobilior illa res eſt, atque ſublimior. Quid igitur de optimae, ac praeſtantiſſimae Naturae, quae omnes pulchrarum rerum formas complexa contineat, contemplatione cenſendum omnino erit? Nimirum de ipſa multo verius, quam de honeſti ſpecie, quod Plato graviſſime dixit, uſurpari poteſt; eam, ſi corporis oculis videretur, mirabiles amores excitaturam ſui.

Cujus

Digitized by Google

Cujus rei licet ex eo conjecturam capere, quod cognoſcendi rerum cauſas avidiſſimi natura ſumus; eas vero ſi cognoſcimus, ea voluptate perfundimur, ut delectationes caeteras, praecipue miniſtratas a ſenſibus, facile contemnamus. Nihil hic Democritum, aut Heraclitum, nihil Euclidem, aut Archimedem memorare neceſſe eſt. Animus cuique ſuus ejus rei teſtis eſt, praeſertim ſi quadam excelſa indole praeditus perturbationes a corporis contagione ortas cohibere aſſueverit. Quid ergo de cognitione ejus Cauſae cenſendum erit, quae et prima eſt, et potentiſſima, et caeterarum cauſa cauſarum, et vim ſingulis, atque virtutem pro ſua voluntate concedens?

Haec omnia optime conſtant, etiamſi, quod plurimi faciunt, Petavii definitionem rejicias, et aliam quamvis, modo non prorſus ineptam, amplectaris.

Sunt enim, quibus ea non valde probetur, propterea quod rationem, cur una res in eadem ſpecie ſit alia pulchrior, non autem, cur una ſpecies aliis quibusdam pulchritudine praeſtet, afferre videatur.

Hinc Benedicto Rogaccio, acuto in primis atque copioſo, ut apud Graeculos aetatis noſtrae nullius fere nominis Auctori, alia Pulchritudinis in genere definitio placuit. Statuit enim (1), Pul-

(1) *Uno Neceſſario P. I. C. 27. p. 443.* Ait enim „ *Che la Bellezza; preſa univerſalmente, e ſecondo un concetto comune ad ogni Bello, tanto ſpirituale, quanto corporeo, può definirſi, Una forma, che rende grato e dilettevole alle potenze conoſcitive il ſuggetto, in cui ſi ritrova*„.

Pulchritudinem id eſſe, quod rem aliquam et gratam et delectabilem iis efficiat, quae *Potentiae Cognoſcitivae* dicuntur in ſcholis.

Neque vero eos probat, qui Pulchritudinem alia ratione deſcripſerant; ut ipſe ordo eſſet ejus, quod in aliquam rem convenire debeat, ne minus in ſua natura perfecta ſit (1). Hanc enim definitionem eodem, quo Petavianam, vitio laborare putat.

Rogaccii definitio non videtur ab ea diſcrepare, quam attulit Doctor Angelicus. „ *Pulchrum*, inquit (2), *dicitur id cujus apprehenſio placet* „ Neque ab ea diſſentit Didaci de Roſis „ *Pulchrum in genere dici poſſet, quod per ſui cognitionem delectat* „ (3) neque ab ea Pallavicini „ *Pulchrum nihil aliud eſt, niſi ſpecies quaedam Boni, quae per ſui cognitionem delectat* „ (4) Huc etiam facere videtur definitio Cruzaſii (5). Huc etiam Leibnitius, Wolfius, quin et Fuginellius (6), aliique innumeri facile revocantur

Si

(1) E. g. Sanjurèus (*Sangiure*) qui P. *I. C. 6.* Pulchritudinis naturam ponit „ *nel giuſto ordinamento di tutto ciò, che ad una coſa ſi conviene, affin d' eſſere nella ſun natura perfetta* „.

(2) *S. Th.* I. 2. *q.* 27. *art.* 1. *ad* 3.

(3) *Ethic. Chriſt. L.* II. *C.* 3. *p.* 4. apud Spagnium *loc. cit. p.* 320.

(4) *Del Bene L.* II. *C.* 11. *p.* 173. apud eumdem.

(5) Cruzaſius (*Crouzas*) apud Encyclopaedicum Auctorem *Art. Beau* de hominibus ita loquitur. „ *Loſqu' ils s' écrient cela eſt beau, s' appercevront qu' ils expriment par ce terme un certain rapport d' un objet, avec des ſentimens agréables, ou avec des idées d' approbation, et tomberont d' accord que dire cela eſt beau, c' eſt-à-dire, j' apperçois quelque choſe que j' approuve ou qui me fait plaiſir* „.

(6) *In Metaph.* qui tamen Pulchrum definiens iis tantum verbis: *Quod nobis placet*: a pleriſque carpitur. Placent enim et odores et ſapores, nec tamen pulchri dicuntur.

Si viros iſtos, amice lector, tales ac tantos in Pulchri definitione ſequaris, quin Deus id ſit, quo Pulchrius eſſe nequeat, dubitare non licet. Nihil enim eſſe poteſt, ut modo ſignificavimus, quod aeque Intelligentiam, quamvis infinitam, oblectet, ac voluptate compleat, ut vel aſſidua optimae naturae ac perfectiſſimae contemplatio.

Sed quam laudavimus, definitionem non ille quidem rejecit, verum amplificavit Andreas Spagnius, qui non multis ab hinc annis de Bono, Malo, et Pulchro ſcripſit accuratiſſime. Statuit autem Pulchrum eſſe „ *Ens bonum in ſe, conſtans diverſis ſive realiter, ſive aequivalenter partibus, quod per ſui cognitionem delectat* „.

Haec definitio mihi, ut ingenue fatear, magis arridet, quam alia quaelibet. Paucis enim verbis, iisdemque ſatis aptis fere omnia exhibet, quae de Pulchro in genere a ſapientibus viris diſputata ſunt. Deinde, quod caput eſt, veram atque perfectam Pulchri notionem amplectitur.

Sane cum dicis, id eſſe Pulchrum, quod per ſui cognitionem delectat, verum dicis. At vereor, ut ea verba ſatis clara ſint; quin et vereor, ut ſint definito clariora. Illud enim animo poteſt occurrere, quod vel ipſa turpium atque deformium cognitio rerum quandoque delectat. Profecto riſus ex aliqua delectatione conſequitur, vel cum ea conjungitur. Riſus autem cauſa *Turpe eſt*, ut acute notat Ariſtoteles, *ſine dolore*.

Sapienter ergo Spagnius cauſam addidit in ſua definitione, cur ea delectent, quae pulchra dicimus. Ea eſt multitudo partium, aut attributorum, quae ſaltem inter ſe ratione diſtinguantur, bonam aliquam rem aptiſſime componentium.

Conſentientes autem in ea re Spagnius habet non ita paucos auctores, qui ſcilicet ex ipſa partium, aut attributorum optime congruentium multitudine notionem Pulchri conſurgere arbitrantur (1); quorum tamen definitiones eo nomine reprehenduntur a multis, quod voluptatis a pulchri cognitione dimanantis nullo modo meminerint. Ipſe Spagnius affert in hanc rem illa Auguſtini, qui „ *Una*,

(1) Ad hanc ſententiam, niſi fallor, Andrèus (*le P. André Jeſuite*) revocari poteſt, qui de Pulchro omnium optime ſcripſit. De ipſo Andrèo illa valde probo, quae ſcripſit Diderotius (*Encycl. Art. Beau p.* 146. *edit. Luc.*) „ *Son eſſai ſur le Beau eſt le ſyſtème le plus ſuivi, le plus étendu, et le mieux lié que je connoiſſe. J' oſerois aſſûrer qu' il eſt dans ſon genre ce que le traité des beaux arts reduits à un ſeul principe eſt dans le ſien. Ce ſont deux bons ouvrages aux quels il n' a manqué qu un chapitre pour être excellens .... Le P. André diſtribue avec beaucoup de ſagacité et de philoſophie le beau en général dans ſes differentes eſpeces; il les définit toutes avec préciſion; mais on ne trouve la définition du beau en général, dans aucun endroit de ſon livre, à moins qu' il ne le faſſe conſiſter dans l' unité comme S. Auguſtin* „ Auguſtinus enim (*Ep. ad Coeleſtin.* 8. *alias* 63. *p.* 23.) „ *Omnis*, inquit, *pulchritudinis forma eſt Unitas* „ ſcilicet cum partes in unum quodammodo conſpirant: Clarius id habet *de Geneſ. con. Manich. L.* I. *c.* 21. *p.* 658. „ *Quae multa ſunt bona tunc placent* (atque hinc pulchra dicuntur) *cum in Univerſum aliquid conveniunt atque concurrunt. Univerſum autem ab Unitate nomen accepit* „ Alibi ſimilia. Caeterum qui Diderotio ſubſcribo Andrèum accuſanti, quod in eo libro de Pulchro in genere clarius definiendo non admodum ſollicitus fuerit, Diderotium probare non poſſum ea ſubjicientem in Andrèum ipſum „ *Il parle ſans ceſſe d' ordre, de proportion, d' harmonie ec. mais il ne dit pas un mot de l' origine de ces idées* „ Imo potius in eo laudandus eſt, quod, cum certiora vellet afferre, quaeſtionem ſepoſuerit, quae vix, aut ne vix quidem, a Philoſophis ad haec tempora ſolvi potuerit. Neque vero magis haec explicari operis inſtituti ratio poſcebat, quam Architectum, qui de templis, aut domibus, aut pontibus aedificandis aliquid ſcribat, neceſſe ſit vel de marmorum origine, vel de ſatu lignorum, ac reliquis ejuſdemmodi verba facere.

Digitized by Google

Una, inquit (1), *ſalva convenientia pulchra ſunt omnia: ipſa vero convenientia aequalitatem unitatemque appetit* „ et alia quaedam ſimilia S. Doctoris verba. Affert etiam Antonii Genuenſis definitionem „ *Pulchritudo*, ait (2), *eſt apta attributorum, aut partium entis congruentia*„ Advertit demum ipſe Spagnius, quantum ad eam partem, de qua loquimur, ſibi ſavere definitiones ab Encyclopaedicis excogitatas Auctoribus, quas caeteroqui, me quidem non diſſentiente, peſſimas putat. Altera eſt Diderotii „ *Pulchrum*, inquit, *appello id, quod in ſe continet ea, quae in mente excitare poſſunt ideas relationum* „ (3) Altera eſt Caroli Juliani, qui animadverſiones in eum articulum edidit „ *Pulchrum non eſt niſi proportio, juſta relatio, et regularis convenientia idearum inter ſe, et quae adhaerent obiecto* (4)„.

Jam vero, ſi haec tibi arrideat Spagnii definitio, pulcherrimum eſſe Deum nullo negotio percipies. Quid enim magis aptum, quid magis ordinatum, aut magis conſentaneum, congruenſque rationi, quam Natura infinite perfecta, infinitis conſtans

 At-

(1) *De vera Relig. Cap. XXX. p. 761.*
(2) *Elem. Metaph.* P. I. *Defin.* 80.
(3) *In dict. Enc. Art. Beau*. Ipſius verba ſunt „ *J' appelle donc beau hors de moi, tout ce qui contient en ſoi de quoi réveiller dans mon entendement l' idée de rapports, et beau par rapport à moi, tout ce qui réveille cette idée* „ Ita caecus homo, idemque claudus, et mancus, ita frontones, capitones, ſimis naribus, vari, valgique, et quicumque demum ſimilibus vitiis corporum laborant, pulcherrimi ſunt dicendi, quod plurimarum ea vitia relationum notiones et ideas in animo excitent. Pulchra ſcilicet definitio!
(4) Verba ipſius haec ſunt „ *Le beau comprend en ſoi plusieurs idées, n' étant que la proportion, le juſte rapport, et la régulière convenance des idées entre elles, et qui ſont adhérentes a l' objet, qui les renferme*„.

Attributis inter ſe amiciſſime junctis? Quod ſi pulchrae ſunt, omnibus conſentientibus, naturae plures, in quibus aliquot bona convenienter atque apte ſociantur, nonne infinite Pulchra ea Natura erit, in qua Bona et infinita numero ſunt, et nullis foedata Malis, et ſingula ſingulis non modo non adverſa, ut in rebus creatis accidit, ſed incrementum quoddam, ſi ita loqui fas eſt, ac praeſidium, ac decus afferentia? Haec enim omnia de Natura divina dicenda eſſe, eaedem rationes oſtendunt, quae infinite perfectam ipſam eſſe oſtenderunt.

Si quis enim repugnaret, vel ex eo convinci poſſet, quod ipſe Deus, ut vidimus, ſiquidem prima rerum cauſa eſt, quidquid Boni eſt in creatis rebus, aut creandis, aut quae creari queant, eminentiore quadam, ut vidimus, ratione obtinet. Pulchra vero infinita eſſe poſſunt, ut modo dicebamus, et infinitis quidem pulchris nihil niſi infinite pulchrum poteſt in eo genere melius, et eminentius eſſe. Igitur infinite Pulcher ipſe Deus dicendus eſt.

Plura in hanc rem afferri poſſent, quae Rogaceius, magnus ille (fremant omnes Graeculi, per me licet). Dei Opt. Max. admirator atque laudator, late perſequitur. Sed omnia me dicere brevius, ac preſſius inſtituti operis ratio cogit.

Neque vero hic praeter Atheos, qui, cum iſta rident, et riſu, et conviciis, et multo gravio-

vioribus poenis ſeſe dignos exhibent, adverſarios habemus, contra quos operoſe diſputandum ſit; niſi quod Aloyſius Vernejus, qui certe ab ea impietate longe abſuit, aliqua ſcripſit, quibus haud mediocriter, quaecumque diximus, labefactari poſſent. Hic enim ſolam agnoſcit pulchritudinem corpoream, quae „ *vel viſum*, ait, *vel auditum delectat; nec aliud*, inquit ipſe, *intelligunt homines, cum tali vocabulo utuntur* (1) „ Itaque, ſi conſtare ſibi vult, non poſſe Pulchrum ipſum Deum, nedum infinite Pulchrum, proprie vocari, arbitratur.

Haec non aliud oſtendunt, niſi Vernejum ipſum non fuiſſe rectam Pulchritudinis notionem aſſecutum. Et id quidem ingenuo ſcilicet homini ultro fatenti credendum eſt. Diſerte enim ſcribit; quae *veteres et recentiores Philoſophi dixere* (de Pulchritudine) *ſibi implicatiorem rem ipſam facere, quam nudum vocabulum Pulchrum;* nec multo poſt, cum inepte Pulchrum in genere definiviſſet „ *id quod placet, ideſt vel viſum vel auditum delectat* „ tandem pronunciat „ *nulla certa notio Pulchritudinis conſtitui poteſt* „ At nollem urbanus homo, quod ipſe non poteſt, alios quoque poſſe negaviſſet. Quid enim? Nonne ſatius erat, ab optimis ipſum erudiri magiſtris, ſi quid neſciebat, quam alios etiam dedocere?

Caeterum quod ait Pulchri nomine non aliud, niſi quod explicuit ipſe, homines intelligere, tam aper-

(1) *Metaph. Lib.* IV. c. II. *p.* 183.

Digitized by Google

aperte fallitur, quam qui maxime. Graeci enim atque Latini, veteres ac recentiores, docti atque indocti homines ea ſaepenumero Pulchra dicunt, quae neque oculis, neque auribus percipiantur. Quid enim? Pulchrum facinus nonne ſaepe idem quod honeſtum, quod nobile, quod magno homine dignum appellatur? Nonne pulchra ſententia, pulchra oratio, pulchrum carmen dicitur? An vero ea tantum ratione pulchra iſta dicuntur, quod voluptate aures mulceant, et quaſi titillent, et non potius quod animo mirabilia videantur? Pulcher autem ipſe animus, aut indoles parumne ſaepe vel ab Italis dicitur, vel a Gallis?

Haec ita manifeſta ſunt, ut neque Platonem huc teſtem adducere neceſſe ſit, qui Bono, et Voluptate Pulchrum recte definiri teſtatur (1); neque Stoicos, qui pulchrum eſſe neminem, niſi Sapientem, graviſſime pronunciant; neque Ciceronem, qui Honeſtum, quod ſua ſponte petatur, et, quamvis a nemine laudetur, laudabile tamen natura ſit, idem Pulchrum appellat (2); quin et ſexcentis in locis pulchritudinis nomine commendat, quae nullo modo aut in oculos aut in aures

res

(1) *In Gorgia*. Ait enim „καὶ καλῶς γε νῦν ὁρίζῃ, ὦ Σώκρατες, ἡδονῇ τε, καὶ ἀγαθῷ ὁριζόμενος τὸ καλόν„ Idem Plato *in Hippia* quod utile eſt, et quatenus utile, et ad id quod eſt utile, et quoties utile eſt, Pulchrum eſſe, ait; quod vero inutile prorſus eſt, turpe eſſe. Ait enim „τὸ μὲν χρήσιμον, καὶ ᾗ χρήσιμον, καὶ πρὸς ὃ χρήσιμον, καὶ ὁπότε χρήσιμον, καλὸν φαμὲν εἶναι. τὸ δὲ πάντῃ ἄχρηστον, αἰσχρόν„.

(2) *Lib. II. de Finibus*. Idem *in Oratore ad Brutum* ea ſcribit, quae Verneji opinioni omnino contraria ſunt; „*Nihil eſt*, inquit, *in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id ſit, unde illud, ut ex ore aliquo, quaſi imago, exprimatur; quod neque oculis, neque auribus, neque ullo ſenſu percipi poteſt, cogitatione tantum, et mente complectimur*„.

res incurrant; neque Auguſtinum, qui tertio quoque verbo quibusdam in libris et Deum, et res corporea mole carentes etiam pulchritudinis nomine caeteris rebus anteponit (1); neque totam denique Platonicorum ſcholam, quibus nihil antiquius fuiſſe novimus, quam primae Cauſae pulchritudinem gravibus profecto ſententiis, illuſtribusque verbis extollere.

Nam et Plotinus Deum vocat (2) „ *Superpulchrum abſque menſura*, *et univerſae pulchritudinis florem* „ et eumdem Alcinous „ *Profundum et immenſum pulchritudinis pelagus* ,, (3), et qui Mercurii Triſmegiſti nomine pluribus aetatibus libros hominum, non ita eruditorum, ſcholaſque tenuit, Deum ipſum appellat (4) „ *Pulchritudinem ſine imitatione* „ et Severinus Boëtius ita eum affatur (5)

„ *Tu cuncta ſuperno*
„ *Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe*
„ *Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans*.

et Herennius demum ex eadem ſchola philoſophus infinitam eſſe Deo Pulchritudinem non modo affirmat, ſed illa etiam ratione probat, quae magno Petavio placuit (6) „ *Pulchritudinem a forma*

(1) Vide *Libros Confeſſion. et Soliloq. &c.*
(2) *Ennead.* VI. *L.* 7. *c.* 32. *et* 33.
(3) *Cap.* X.
(4) *Pimand.* C. IV.
(5) *L.* III. *de Conſ. Met.* 9.
(6) *Apud Petav. L.* VI. *c.* 7.

ma potius oriri, ait apud ipſum Petavium, *quam a materia. Eſt enim in agente magis quam in patiente; quia quod patitur, eſt aliquid potentia: quod vero actu eſt, agit. Eſt autem Deus perfectiſſimus actus, cui nihil admixtum eſt potentiae. Caetera vero plus potentiae habent, quam actus; tum ille ipſe actus, qui eſt Deus, infinitus eſt. Quare infinita quoque eſt Pulchritudo* „.

Quae ſane omnia, quamquam per ſe clara ſunt, atque perſpicua, a principe et auctore diſciplinae ſuae Platone haurire potuerunt; qui et ſummam, quamvis a ſola mente percipiendam, Cauſae primae Pulchritudinem eſſe, et a Pulchritudine, quae vel in legibus, vel in liberalibus artibus extat, aliquam de illius virtute conjecturam fieri poſſe, graviſſime docuit (1).

Nollem ergo Vernejum illa ſcripſiſſe, quae fere omnium aut Graece, aut Latine, aut Italice, aut Gallice, addam etiam quovis fere ſermone loquentium teſtimonio refutentur. Sed magis eum nollem de Pulchritudine ipſa tam abjecte ſenſiſſe, ut nullum ipſi relinquat, ſi tamen ſibi conſtat, in divina Natura locum.

Carum et amabile ipſum eſt Pulchritudinis nomen; quae ſcilicet homines univerſos delectat, atque allicit, quae duros quoſque labores pro ipſa ſuſceptos ſolatur, ac mitigat, quae nobiliores animos ita ſibi devincit, ut ei quandoque parere malint,

quam

(1) Ea verba Platonis affert Cyrillus *con. Julian. L. III.* „ ὅτι ἀπὸ τοῦ κάλλους τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὸ νοητὸν τοῦ Θεοῦ κάλλος ἀναφοιτᾶσθαι δέον, ἀπὸ δὲ τῶν ἐν τοῖς νόμοις, καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι, τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ δεῖ θεωρεῖν „.

quam caeteris imperare. Haeccine igitur tam praeclara Dos, atque tam mira corporum propria erit, non animorum? Haeccine, ſi proprie loquamur, in ea Natura non reperietur, in qua omnia Perfecta ſunt, omnia Bona, omnia, quae nos in admirationem ſui, amoremque convertant?

Nam, quae pro Verneji ſententia poſſunt afferri, magis inepta ſunt, atque infirma, quam ut confutatione digna videantur. Quod enim Pulchritudinis nomen ad aptiſſimas corporum figuras quadam colorum ſuavitate venuſtas explicandas primo fuerit adhibitum, ut verum ſit (negari enim facile poteſt (1)) non tamen id efficit, quod Vernejus vult. Nam et ipſum nomen Spiritus, et Anima, et alia, quae ſunt innumerabilia, corporeis primum rebus deſignandis inventa poſtmodum ad res minime corporeas aeque bene ac proprie notandas translata ſunt.

Quod autem quae corpora non ſunt, partibus careant, quae ad Pulchritudinis notionem facere videantur, ſatis ex optima Spagnii definitione evaneſcit. Sunt enim et animis attributa, quae cum et mirabilia ſunt, et ſingula ſingulis optime reſpondent, multo majorem eadem cognoſcen-

(1) Sane Graecum τὸ καλὸν, quod ſignificat et Bonum, et Pulchrum a verbo καλέω ortum videtur; quod nimirum ad ſe vocet, hoc eſt alliciat. Id autem non minus animis, quam corporibus convenit. De Pulchro autem haec habet doctiſſimus Facciolatus „ *Pulcher....... quaſi πολύχρυς, a πολὺ, et χρῶμα, quia proprie pulchrum eſt, quod multum coloris, nitoriſque habet. Vel eſt πολύχαρις, ut proprie pulcher ſit, in quo multa gratia. Vel a πολύχειρ. Ita pulcher proprie erit fortis, quomodo Servius exponit hoc Maronis 7. Æneid. v. 656. Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus. Sic Florus l. 4. c. 4. Tum etiam manu pulcher apparuit* „.

ſcentibus delectationem efficiunt, quam corporea quaelibet membra, quantumvis ſingula ex ſingulis apta, et concinna diſtributione inter ſe juncta, atque ſociata.

CAPUT XIII.

Unitas Dei, reprehenſis quibusdam Incredulorum erroribus, aut calumniis, nec non quibusdam optimorum quoque Scriptorum rationibus rejectis, ex infinita, de qua diſputamus, ejusdem Perfectione oſtenditur.

SI quaecumque de infinita Dei Perfectione diſputavimus rite percipiantur, non dubito vel ex hoc maxime capite Unitatem Ipſius Dei probatum iri, de qua diligentem inſtituere tractationem quanti referat, ii demum intelligunt, qui liberaliſſima Metaphyſicae ſtudia excolenda ſusceperunt. Quis enim ex illis eſt, quin Ruſſoji negligentiam, atque ſegnitiem reprehendendam exiſtimet, nihil ſibi curae eſſe, unumne, an duo, an plura rerum principia conſtituenda ſint, aperte confitentis (1)?

Sed et ad Religionis defenſionem contra impios Unitatem Dei demonſtrare non parum profecto conducit. Etenim hoc etiam Attributum Dei Opt. Max. quidam ex illis hac aetate laedunt,

(1) *Emile Tom.* III. *p.* 56.

dunt, qua verius nimirum, quam ſua, Cicero, ſi viveret, illud uſurpare poſſet: nihil tam abſurdum dici, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum.

Illud etiam accedit, quod Scriptores quidam, qui ſunt in manibus omnium, etſi Deum unum eſſe non negant, id tamen a Theologis atque Philoſophis potius ſumi, quam probari conqueruntur. Ex eo Scriptorum genere Lokius ille fuit, cujus plurimi ſententias hac aetate laudant atque ſequuntur, quas neque ſatis perpendunt, neque ſatis intelligunt (1).

Bulangerus autem turpiſſimi mendacii eſt arguendus, qui petulantiſſime ſcripſit, non poſſe de Chriſtianorum ſententia Unitatem Dei, niſi ipſius loquentis Dei teſtimonio, confirmari.

 Quid

(1) *Apud Clarkium de Ex. D. in epiſtola ad calcem I. Volum. p. m. 395. ubi ait „ Les Theologiens, les Philoſophes, et Des Cartes lui-même ſuppoſent l'unité de Dieu, ſans la prouver „* Ipſe autem Lokius ita Dei Unitatem demonſtrandam aſſumit (*in libello, cui tit. Oeuvres diverſes de M. Locke, Nouv. Edit. conſiderablement augmentèe .... Am. 1732. Lettr. VII.*) *„ Je croi que quiconque reflèchira ſur ſoi-même, connoitra èvidemment ſans en pouvoir douter le moins du monde, qu' il y a auſſi un Etre infini. Or je dis qu' il ne peut y avoir qu' un Etre infini, et que cet Etre infini doit être auſſi l' Etre Eternel, parceque ce qui eſt Infini doit avoir ètè infini de toute èternitè: car aucune addition faite dans les temps, ne ſçauroit rendre une choſe infinie, ſi elle ne l' eſt pas en elle-même, et par elle-même, et de toute èternitè; telle etant la nature de l' Infini, qu' on n' en peut rien ôter, et qu' on n' y peut rien ajouter. D' ou il s' enſuit, que l' Infini ne ſçauroit être ſeparè en plus d' un, n' y être qu' un. C' eſt-la, ſelon moi, une preuve a priori que l' Etre Eternel, Independant, n' eſt qu' un. Et ſi nous y joignons l' idèe de toutes les Perfections poſſibles, nous avons alors l' idèe d' un Dieu Eternel, Infini, Omniſcient, et Tout puiſſant „* Quid cenſendum ſit de hac Lokiana demonſtratione vide apud egregium Scriptorem ex Ordine Praedicatorum Thomam Vincentium Monigliam (*Contro i Materialiſti Diſſertazione ec.*) apud quem et alia multa de Unitate ſupremi Numinis tum ſua, tum ex Patribus diligenter collecta reperies.

Quid autem de Mirabodio dicemus hoc etiam Attributum Dei per ſummam ſtultitiam atque impietatem aggredi auſo? Ille quidem opinionem de uno Deo a ſtulta illa veterum de Anima Mundi ſententia ortam eſſe ſcribit (1); ac proinde poſteriorum dumtaxat aetatum hominibus placuiſſe. Quod autem ait, ſi Deus unica ſit res, materiam aut nihil aut ipſum Deum eſſe futuram, non riſu potius quam oratione ejiciendum videtur? Sed tamen et mendacium impudentiſſimi Scriptoris Unitatem Dei nullo modo probari affirmantis confutandum eſt, et qui licentiae, quam ille indulget, dulcedine, magis quam gallici ſermonis quadam ſuavitate, capi facile poſſunt, monendi ſunt, et alii ex eo grege homines ita convincendi, ut ſuus et Religioni, et Philoſophiae, et humanae Rationi honos aſſeratur.

Sed antequam rationes in medium affero, quae mihi maxime probantur, nonnullas aliorum rationes expendam, quae ſatis probari nequeunt. Hujuſmodi eſt ea ratio, quam ab ipſa Mundi Unitate aliqui repetunt; ex quibus Wilhelmus Wiſtonus hac eadem aetate ad hanc rem confirmandam conſtantes ac certas in ipſa rerum natura leges vocari poſſe, arbitratus eſt. Cum enim una ſit lex gravitatis, cum eaedem leges motus ſemper appareant, ſatis argumenti eſſe duxit (2), qua-

(1) *Syſteme de la Nature To.* II.

(2) *In libro cui tit.* Principia *Aſtronomica Religionis naturalis, et revelatae ec. An.* 1717. de quo libro ſapiens eſt in Actis Lipſiae judicium ad an. 1720. „ *Nihil de his attributis* (Dei) *habet, quod non ſit pervulgatum, utiturque ad ea probanda ſubinde argumentis parum firmis* „.

quamobrem unicus, qui iiſdem praeſit, Deus ſit agnoſcendus.

Hoc argumentum, ſi acutius iſta rimari volumus, duplicem vim habere poteſt. Aut enim ita afferetur, ut unicum eſſe omnino Deum, neque alium ullo modo eſſe poſſe, perſuadeat; aut contra Ethnicos intorquebitur, ut ſaltem id veriſimilius appareat, vel certe, cum vim eſſe naturamque divinam ipſa rerum univerſitatis pulcherrima facies oſtendat, eademque conditorem unum, gubernatoremque praeſeferat, ii qui ſine ulla ratione plures Deos agnoſcere velint, atque tueri, perabſurdi ac perridiculi videantur. Hac altera profecto ratione ſua ſtat argumento vis atque robur. Quid enim in eo eſt, quod reprehendere jure poſſis? Itaque ſapienter illa Origenes „ *Quanto praeſtabilius eſt ea credere, quae perfecta Mundi bujus harmonia credere nos jubet, unumque Mundi bujus, qui unus eſt, fabricatorem venerari? Fieri enim omnino nequit, ut tale opus, cujus partes tam apte inter ſe cobaerent, et concinunt, ortum ſuum multis arcbitectis debeat: quemadmodum incredibile eſt, ut coeli motus a multis animis dirigantur* (1) „ At ſi prima illa ratione argumentum conſideretur, vereor, ut ſatis probabile haberi poſſit, ac dici.

Quod enim Origenes affirmavit de uno Mundi architecto, an prorſus evidens ac manifeſtum, ut contra nihil omnino dici poſſit, ha-

(1) *Lib. I. contra Celſum.*

habendum eſt? An vero duo Numina, ſi eſſent, nullo modo inter ſe conſilia communicare poſſent, ut quaemadmodum inter homines duo aut plures Architecti unam domum, ita unum ipſa Mundum fabricarent, ſingulis partibus ad unum finem, qui placuiſſet utriſque, ſcite ſolerterque deſcriptis?

Sed, ut haec omittamus, quis Clarkio non aſſentiatur (1), nihil ex tota rerum univerſitate, niſi partem unam, eamdemque finibus exiguis comprehenſam, a nobis cognoſci; unde ſcilicet de caeteris argumenta omnino evidentia nullo modo capere liceat? Quis, inquam, evidenter oſtendat, cum hic Mundus ab uno Deo ſit conditus, non innumerabiles alios mundos ab aliis Diis condi potuiſſe? Quae cum ita ſint, Limborchium equidem probo, qui datis ad Lokium litteris argumentum poſtulavit „ *quo probetur Ens, cujus exiſtentia eſt neceſſaria, tantum poſſe eſſe unum, et quidem ut id argumentum a neceſſitate exiſtentiae deſumatur, et a priori (ut in ſcholis loquuntur) non a poſteriori concludat, hoc eſt ex natura neceſſariae exiſtentiae probetur, eam pluribus non poſſe eſſe communem* „ (2).

Hujuſmodi argumentum non poteſt a notione infiniti Spatii cum ipſo Clarkio deſumi (3).

Quam-

(1) *In epiſtol. ad calcem* I. *Volumin. de Exiſt. Dei p. m.* 395.

(2) *In epiſt. apud Clark. ad calc.* I. *Volum.* cui tamen Limborchio in eo non aſſentior, quod prius Unitatem Dei, quam ejus infinitam Perfectionem, eſſe neceſſario demonſtrandam exiſtimaverit, ut ex Lokii libello apparet, de quo ſupra locuti ſumus.

(3) *Vid. Vol. I. de l' Ex. de Dieu, ac praeſertim ad calcem Voluminis reſponſiones ipſius Clarkii ad epiſtolas nobilis e Gloceſtria viri.*

Digitized by Google

Quamquam enim duplex infinitum Spatium eſſe non poteſt; quamquam nihil eſſe, vel fingi poteſt, quod in Spatio non ſit, nihil tamen abſurdius unquam ſcriptum eſt ab ullo philoſopho, quam Spatium ipſum, quod metimur, quod ſaltem intelligentia dividimus, quod corporibus continendis inſervit, eſſe ipſius neceſſariae naturae, ideſt ipſius Dei, proprietatem (1). Itaque omnia corruunt ipſa per ſe momenta rationum ſuper tam debile fundamentum extructa. Multa quidem in iis Clarkii libris tum acute dicta inveniuntur, tum ſubtiliter excogitata; neque nos ipſi Clarkio praeſtantiſſimi ingenii gloriam unquam invidimus. At errores hujuſmodi, quibus ille ſcatet, facile oſtendunt, quantopere vir caeteroqui doctiſſimus Barretius deceptus fuerit, cum Clarkii libros de Natura Divina caeteris Metaphyſicorum ſcriptis anteponeret.

Qui ſtant a Leibnitio Philoſophi argumentum pro Unitate Dei comprobanda proferunt, quo nihil magis illuſtre, magiſque perſpicuum exi-

ſti-

(1) Multis in locis id habet. E. g. *in epiſt. ad eum nobilem virum Ill.* „ *L' eſpace eſt une proprieté de la ſubſtance qui exiſte par elle-même; et non pas une proprieté de toute autre ſubſtance. Toutes les autres ſubſtances ſont dans l' eſpace, et l' eſpace les pénètre, mais la ſubſtance exiſtante par elle-même n' eſt pas dans l' eſpace, et n' en eſt pas pénétrée. Elle eſt, ſi je puis m' eſprimer ainſi, le ſubſtratum de l' eſpace, elle eſt le fondement de l' exiſtence de l' eſpace, et de la durée elle-même. Or l' eſpace, et la durée étant evidemment neceſsaires, et n' etans pourtant point des ſubſtances, mais des proprietez, il eſt clair que la ſubſtance, ſans qui ces proprietez ne ſauroient ſubſiſter, eſt elle-même encore plus neceſsaire, s' il étoit poſſible* „. Ab ea ſententia differt alia quorumdam Philoſophorum, qui nullum *reale ſpatium* a corporibus, et corporeis proprietatibus diſtinctum agnoſcunt, at corpora ipſa in Immenſitate Dei, quae cum individua ſit, diviſa complectatur, tamquam in *increato ſpatio* contineri putant.

Digitized by Google

ſtimant. Illud hoc loco unius ex illis Philoſophis Alexandri Gottliebii Baumgarteni verbis proponamus „ *Plures Dii*, inquit (1) *ſunt impoſſibiles. Si enim plures exiſterent, ſinguli illorum eſſe deberent ſubſtantiae, et exiſterent extra ſeſe invicem, iique vel totaliter iidem, vel partialiter tantum. Si ponerentur totaliter iidem, ipſi forent impoſſibiles, ſiquidem plura exacte ſimilia aut aequalia exiſtere haud poſſunt. Si partim forent ipſi diverſi, tum eſſet aliquid in uno, quod non foret in altero. Hoc ipſum porro eſſet aut realitas, aut negatio. Si realitas eſſet, ille, cui quid deeſſet, non foret Deus. Si id eſſet negatio, tum ille, cui illa ineſſet, foret non Deus. Reſtat igitur, ut Deus ſit unicus* „.

In ea ratione ſumitur, ut vides, *plura exacte ſimilia, aut aequalia exiſtere haud poſſe*. Id ſi verum eſt, brevia et acuta illa conſectaria veriora eſſe non poſſunt. At verum eſſe, an pauci, non modo veteres, ſed et recentiores Philoſophi, negant? Hoſpes in hiſtoria Philoſophiae ſit, oportet, qui neſciat, quanta contra Pronunciatum illud animorum contentione Clarkius, plurimique Nevvtoniani pugnaverint. Quamobrem nolim ego praeclaram de Unitate Dei doctrinam huic tantummodo tam incertae opinioni committere, ut, ſi ea ſtet, bene fundata, et extructa, ſin vero cadat, etiam ipſa ruitura videatur.

Ac-

(1) *In ſua Metaphyſica, de qua vid. Acta Lipſ.* (*To.* IV. *ſupplement. ad N. Act. Eruditor.*)

Accedit et alia ratio fortaſſe validior. Etenim plura Leibnitianorum argumenta, ea praeſertim quae, niſi fallor, optima ſunt, non aliud efficiunt, niſi creatis in rebus duo, quae ſint ita ſimilia vel aequalia, ut a quavis creata mente diſcerni non poſſint, nuſquam inveniri. Jam vero dici poterit, ut res ita ſe habeant, ad providentiam voluntatemque divinam pertinere. Quamobrem, cum ea ratio in pluribus Diis, ſiquidem exiſterent, nullum locum habitura eſſet, inde concludi, ut duos eſſe Deos omnino ſimiles, aut aequales, cenſeri non debeat abſurdum. Caeterum Baumgarteni argumentum ad unam ex rationibus, quam nos mox illuſtraturi ſumus, facile trahitur.

Simile autem eſt huic, quod attulimus, argumentum illud a Joanne Hookio allatum „ *Deus* inquit (1), *eſt Ens infinite perfectum, cui nulla deſit perfectio. Atqui non potes ponere duo Entia ſumme perfecta, quin eodem tempore ſtatuas, utrumque carere aliqua perfectione. Nam illa duo Entia A, et B a ſe invicem aliqua re diſtinguuntur et differunt: ſcilicet attributis ſuis, vel cauſa formali exiſtentiae ſuae: nam ſi A et B habeant eamdem cauſam formalem exiſtentiae ſuae, eamdem naturam, et eadem attributa, certe ex nulla parte differunt: Porro id per quod diſtinguerentur perfectio eſſet, et illa perfectione utrumque careret. Ergo ec. Neque dicas per exiſten-*

(1) *Relig. Natur. Tom.* I. P. I. *p. m.* 109.

ſtentiam, quam habet quoque ſpecialem, utrumque ens ſatis diſtingui. Nam exiſtentia ſupponit res diſtinctas, et ubi nulla eſt diſtinctio abſurde fingitur ſeparata exiſtentia. Sic ſuppone Petrum et Paulum non diſtingui neque per naturam, neque per cauſam ſuam, videlicet decretum divinae voluntatis. Certe Petrus, et Paulus entia duo eſſe non poſſunt, nec ſeparatam habere exiſtentiam. Argumentum hoc ſubtile ſcholaſticorum eſt „ Hactenus Hookius.

In hoc argumento plura ſunt optima ; ſed et aliquid eſt , quod ab adverſariis non abſurde contemnatur. Equidem *Eſſentiam*, et *Exiſtentiam* inter ſe aliqua ratione diſtingui oportere, non invitus concedo. Illud etiam concedo: duo, ſi eſſent, Numina ejusdem Eſſentiae, ſive Naturae fore ; ideſt ejusdem virtutis, ejusdem perfectionis, ac dignitatis, ut nihil in altero boni reperire liceret, cui non omnino ſimile in altero, et aequale poſſet agnoſci. Sed unum ab altero per id, quod Scholaſtici vocant *Exiſtentiam*, aut *Individuationem*, diſcrepaturum eſſe videretur. Quod ajunt, *Exiſtentia ſupponit res diſtinctas*, unum eſt ex ambiguis Scholaſticorum effatis, quae ſumi potius, quam oſtendi, Recentiores jure optimo conqueruntur. Homines duo ejusdem naturae ſunt. Iidem tamen ita diſtinguuntur inter ſe, ut alter alterius ope, ſive virtute nullus indigeat. Diſtinguuntur, inquis, *per cauſam exiſtentiae ſuae*, decretum ſcilicet divinae voluntatis. Quod das, libenter accipio. Ejusdem ergo na-

naturae duas eſſe res, tibi etiam non videtur abſurdum. Aliqua enim cauſa poteſt exiſtere, quamobrem ea natura non ad unam tantummodo rem contrahatur, verum et ad plures excurrat. Jam ergo oſtende, nullam cauſam eſſe vel excogitari poſſe, cur plura ſint ejusdem naturae Numina. Non poteſt, inquis, hac in re Voluntatis alicujus, ut Omnipotentis, haberi etiam leviſſima ratio. Id etiam concedo. At ſi quid probaturus es, omiſſis iis vocibus, quae plus obſcuritatis, quam veritatis, habere videantur, hoc tibi accuratius eſt efficiendum: Naturam divinam ſua neſcio qua neceſſitate id ferre nullo modo poſſe, ut non dumtaxat in uno, ſed et in pluribus aliis Numinibus exiſtat.

His igitur, aliiſque (1) rejectis, aut certe praetermiſſis, Unitatem Deì comprobandi rationibus, quae fortaſſe optimae ſunt, at mihi non admodum ſatisfaciunt, eas propono, quae tum ex Infinitae Perfectionis Dei probatione ipſa, tum ex eadem infinita Perfectione conſequentes facilius defenduntur, ac tutius.

Nam primo quidem eadem exiſtendi neceſſitas, qua in infinita Dei Perfectione demonſtranda uſi ſumus, aeque probat, unicum eſſe Deum, hoc eſt Naturam unicam infinite perfectam. Nam ſi du-

(1) De rationibus a Joanne Gualberto de Soria propoſitis multa doctiſſimos inter viros non multis ab hinc annis diſputata ſunt, ac litteris conſignata; de quibus nimirum hoc loco diſceptare et longa res eſſet, et minime neceſſaria. Alias etiam rationes vide apud Segneri *Incr. ſenza ſcuſa* C. XVIII. *Vide etiam Diſſertat. Steinvvehri Lipſiae habitam de argumentis Unitatis Dei.*

ſi duplex Deus cogitatione fingatur, aliquid, quod non neceſſario ſit, neceſſario fingitur. Alteruter enim, ut ita dicam, redundaret Deus; quandoquidem unicus in tota rerum natura ſufficeret. Quid enim non ſufficiat, quod eſt omne Bonum, quod Virtutem omnem ac Perfectionem praeſtantiſſima natura complectitur (1)?

Neceſſitas enim, quae fert, ut ſit aliquid, fert, quod ſaepe diximus, ut ſit aliquod Bonum. Malum autem neceſſarium eſſe nequit. At omne Bonum in quovis Deo eſt, ſcilicet malo non adjunctum. Neceſſitati ergo poſcenti, ut ſit Bonum, cujuſvis Dei natura ſatisfacit. Si quid ergo praeter illum eſt Deum, extra neceſſitatem exiſtendi eſt. Non ergo neceſſarium eſt. Itaque non eſt Deus: Nihil ergo praeter unum Deum, Deus eſſe poteſt.

Huc illa Hugonis Grotii revocantur (2) „ *Hoc* (Deum eſſe unum) *inde colligitur, quod Deus, ut ſupra jam dictum eſt, eſt id, quod eſt neceſſario ſive per ſe: neceſſario autem, ſive per ſe, quidque eſt, non qua in genere conſideratur, ſed qua actu eſt: actu autem ſunt res ſingulae. Quod ſi plures Deos ponas, jam in ſingulis nihil invenies, cur neceſſario ſint: nihilque cur magis duo, quam tres, aut decem, quam quinque credantur. Adde*

(1) Recte illa Clarkius (*de l'Ex. de D. To. I. C. 8.*) „ *Chacune de ces natures* (ſi dicantur plures Dii) *étant indépendante de l'autre, on peut fort bien ſuppoſer, que chacune d'elles exiſte toute ſeule, et il n'y aura point de contradiction à imaginer que l'autre n'exiſte pas; d'où il s'enſuit que ni l'une ni l'autre n'exiſtera néceſſairement* „.

(2) *De Verit. Relig. Chriſt. L. I. p. 9.*

de quod multiplicatio rerum ſingularum congenerum eſt ex cauſarum foecunditate, pro qua plures ipſae res enaſcuntur, aut pauciores. Dei autem nec origo, nec cauſa ulla eſt. Tum vero in ſingulis diverſis ſunt quaedam proprietates ſingulares, quibus inter ſe diſcriminentur, quas in Deo, qui natura eſt neceſſaria, ponere non eſt neceſſarium „.

At ratio clarior etiam atque validior ex ipſa Infinitae Perfectionis notione contra Ethnicos a ſanctis Eccleſiae Chriſtianae Patribus deſumpta eſt, quae non prorſus hebeti cuilibet menti ſatisfaciat. Si enim Natura Divina eſt infinite perfecta, fieri non poteſt, ut is, quem Deum appellas, parem in imperio habeat, parem in ſumma potentia, parem in ſumma ipſa perfectione naturae. Quamobrem acute, ut pleraque, illa Prudentius:

Porro nihil ſummum, niſi plenis viribus unum.

Sane ſi Deus parem in imperio habeat, parem in reliquis attributis, et de Omnipotentia ipſius actum videtur, et de Felicitate, et de Natura ipſa Divina. Neque enim facile poterit agere, quaecumque ne agat, alter obſiſtat Deus; qui ſi priori cedere compellatur, aliquid invitus patiatur, atque hinc debilis et infirmus omnino dicatur, neceſſe eſt. Quaenam vero felicitas erit Deo ab alterius Dei conſiliis, atque viribus, aut ſibi,

aut

Digitized by Google

aut ſuis perpetuo metuenti? Nam ſi Deum alterum de ſuis conſiliis celare poſſit, hic aliquid ignorare poterit; atque hinc infinita carere ſapientia nemini non videbitur: ſin autem minus poſſit, haec erit infelicitas profecto non levis. Quid enim magis miſerum dici vel fingi poteſt, quam ſi alteri, qui non a te pendeat, qui tibi adverſari poſſit, qui palam poſſit obſiſtere, non modo quidquid agas, ſed etiam quidquid moliare, quidquid animo volvas, quidquid cogites, neceſſario aperias, aut potius, quin ipſe aperias, omnia patefacta eſſe, atque optime nota, certo ſcias? Haec ratio quam late pateat, facile quiſque videt, dummodo aut ingenio quidquam, aut Dialecticae uſu valeat. Itaque non eſt, cur in illa fuſius explicanda immoremur.

Ex eadem infinitae Perfectionis notione alio etiam modo, quem ſupra tetigimus, argumenta pro Unitate Dei capere licet. Etenim ſi duo ſint Dii (idem ſi plures) numne totum, quod in uno eſt, in altero eſt? Si affirmas, nihil relinquis, quamobrem alter ab altero diſtinguatur; ex quo manifeſte conſequitur, ut duo nullo modo ſint exiſtimandi. Si negas, jam aliquid, certe mali expers, in una ponis natura, quod in alia non eſt. Illud autem quidquid eſt, Bonum profecto eſt. Concedis ergo jam in uno Deo Bonum eſſe, ſcilicet ſine Malo, quod in alio Deo fruſtra requiras. Quis jam non videt, alterum hunc Deum non eſſe infinitum Bonum, atque hinc, ſi ea teneas, quae de infinita Dei

Per-

Digitized by Google

Perfectione docuimus, ne Deum quidem eſſe dicendum ?

Clarius eamdem fere rationem proponamus. Deus ita bonus, ita perfectus eſt, ut Omnis pura Perfectio recte haberi poſſit, ac dici. Si duplex igitur Deus eſt, duplex eſt Omnis pura Perfectio. At duplex Omnis pura Perfectio notiones duas inter ſe pugnantes videtur involvere. Si enim duplex eſt Natura Divina, jam alterutra non eſt Omnis pura Perfectio. Alterutri enim deeſt infinita illa Perfectio, quae in altera reperitur. Ita fit, ut vel unica natura ſit, in qua Omnis pura Perfectio exiſtat, vel omnino nulla. Atqui nulla profecto non eſt. Unica ergo eſt Dei Opt. Max. Natura exiſtimanda.

CAPUT XIV.

Manichaeorum error de duobus Principiis a Baylio defenſus ex infinitae Perfectionis notione confutatur, ac Baylii rationes infringuntur.

Quae ſunt hactenus a nobis ex infinitae Perfectionis notione argumenta deducta, non modo unicum eſſe Deum, ſed unicum quoque rerum eſſe Principium efficiunt; ex quo nemo conſequi non videt, Manichaeorum errorem de principiis duobus, altero bonorum, altero malo-

rum,

rum, eſſe repudiandum; quidquid Baylius ad eum e tenebris eruendum, atque iterum obtrudendum in ſcholas, pro inſigni ſua impietate moliatur. Nihil innumerabiles ejus errores Manichaeorum cauſam agentis memorare neceſſe eſt; cum ne illud quidem tenuerit, quod facillimum eſſe videbatur; quid proprie de duobus Principiis Manichaei docuerint.

Etenim de Manichaeorum Principe veteres tradunt; duas eum agnoviſſe naturas, bonam unam, alteram malam, et ambas quidem aeternas, ſed neque rerum cognitione, neque potentia inter ſe conferendas. Bonum enim Principium alteri Malo tantum antecellere ſentiebat, ut ipſum vel invitum coërcere, atque ejus impedire conſilia mirabili ſua virtute poſſet. Docebat idem, nullum inter duo principia foedus fuiſſe compoſitum, nullam utrique communem fuiſſe creationem, aut conditionem rerum; quippe cum Dei Opt. Max. majeſtate videretur id prorſus indignum.

Baylius autem; praeterquamquod non duo jam, ſed tria principia videtur inducere (etenim praeter duo, quae diximus, principia tertiam agnoſcit naturam neque bonam, neque malam, at quae bonam, vel malam formam poſſit induere) et Bonum et Malum Principium in iis tantummodo, quae *Perfectiones Morales* vocari ſolent, diſſimilia exhibet. Itaque ejuſdem potentiae, ejuſdem ſapientiae, ejuſdem ſagacitatis eſſe vult, ut paribus inter ſe viribus, armiſque contendant. Quamo-

mobrem, non potuiſſe mundum hunc niſi communicatis conſiliis, et neſcio qua tranſactione inita, compoſitiſque induciis condere arbitratur (1).

Caeterum his etiam omnibus praetermiſſis, quod poſuimus evidens eſt: ſummam Dei Perfectionem cum Bayliana duorum Principiorum doctrina nullo modo poſſe componi. Neque enim Omnipotens ille dicendus eſt, qui, ſi quando vincit adverſarium, ab ipſo etiam non raro vincitur, neque Beatus, aut Felix, qui ſemper ab acerbiſſimo inimico multa ſibi, multa ſuis operibus, mala imminere ſentiat, quae neque ipſe fugere, neque alio poſſit avertere.

Itaque Baylius ipſe concedit, rationes, quae dicuntur a priori, contra doctrinam duorum Principiorum aperte facere (2): verumtamen rationes, quae a poſteriori vocantur, omnino eidem doctrinae favere exiſtimat; quod et Manichaei antiquiores exiſtimabant, de quibus crebro interrogantibus, *unde malum?* illa ſunt Auguſtini „ *Hac quaeſtione Manichaei ſe regnare putant* „.

 Haec

(1) *V. Beauſobre Hiſt. du Manich. Trevoltienſes Juin* 1755. *Chauffepié Dict. Vol.* III. *Art. Manich. Confer, quae habet Auctor Summae Auguſtinianae in diſſert. de Antiquis et Novis Manichaeis* C. I. *et* II. *Conſule etiam* Gauchat *To. VI. Lettr. Crit.* 63.

(2) Rationes alias a priori, quas Baylius ſibi adverſari fatetur, vide apud Theologos. Optimae illae ſunt, quas D. Thomas ſuggerit *Lib.* III. *contra Gentes C.* 15. „ *Summum malum oportet eſſe abſque conſortio omnis boni, ſicut et ſummum bonum eſt, quod eſt omnino ſeparatum a malo. Non poteſt autem eſſe aliquod malum omnino ſeparatum a bono: cum oſtenſum ſit, quod malum ſundatur in bono: ergo nihil eſt ſumme malum. Adhuc, ſi aliquid eſt ſumme malum, oportet quod per eſſentiam ſuam ſit malum: ſicut et ſumme bonum eſt, quod per ſuam eſſentiam bonum eſt. Hoc autem eſt impoſſibile; cum malum non habeat aliquam eſſentiam........ Impoſſibile eſt igitur ponere ſummum malum, quod ſit malorum principium* „. *Vide eumdem ibid.* C. VII. *et ſeq.*

Haec etiamſi vera eſſent; non tamen id conſequeretur, quod Manichaei conſequi arbitrantur. Neque enim Baylio concedere debemus, niſi Carteſiani haberi velimus, nimium quantum incertis hypotheſibus tribuentes, doctrinam eam, vel συςήμα verum eſſe, quod φαίνομενοις explicandis omnino ſatisfaciat. Si qua hujuſmodi doctrina rationibus geometricis (idem de Metaphyſicis) premitur, quae nullo modo ſolvi poſſint, nullo modo vera cenſenda eſt; ſiquidem rationes illae a principiis proficiſcuntur naturae ipſo lumine cognitis: quibus proinde falſum ſubeſſe nequeat. Faciunt huc plurima contra Carteſianos a Recentioribus Philoſophis praecipue Nevvtonianis uberrime diſputata.

Sed et ea de rationibus a poſteriori doctrinae impiae faventibus vox et oratio jam a nobis breviter confutanda eſt, ne ſi ea quidquam obtineat, de infinita Dei Perfectione, cum duobus Manichaeorum Principiis nullo modo componenda, prorſus actum eſſe videatur. Itaque rotunde nego, quod tantopere Baylius affirmat, rationes a poſteriori Manichaeorum confirmare ſententiam: nego, inquam, effectus illos (phaenomena Baylius vocat) quos mala tum phyſica, tum moralia dicimus, duobus agnitis Principiis, altero bonorum, altero malorum, ſatis apte declarari.

Primo enim, ſi principium eſſet per ſe malum, non modo eſſe, ſed ne cogitatione quidem fingi poſ-

ſet,

ſet, *Morale Malum*, quo ſublato plurima phyſica mala, quibus affliċtantur homines, omnino de medio ſummoveantur, neceſſe eſt. Sane Principium illud, cum eſſet ipſa natura malum, neceſſario morale malum in rerum natura efficeret, et eadem neceſſitate homines ad illud efficiendum adigeret. Neceſſario igitur homines morale malum admitterent, neceſſario peccarent; quod totum certe notiones duas inter ſe pugnantes, ac nullo modo componendas ampleċtitur.

Nihil enim quod neceſſario fit moraliter malum eſſe poteſt, ut contra eos, qui Fataliſtae dicuntur, et alios bene multos inſanos homines melioris notae Metaphyſici demonſtrarunt. Veriſſimum enim illud eſt Auguſtini „ *Nemo peccat in eo, quod caveri non poteſt* „ Niſi id agneſcas, non eſt, cur eum, cujus dextera per acerbiſſimum inimicum ad parentem ſuum trucidandum, quantumvis repugnet, contraque reluċtet, impellatur, horribili quavis poena mulċtandum eſſe non cenſeas.

At enim, ajunt, dextera, quae invita ad facinus patrandum adhibeatur, cum voluntate, quae neceſſario, non tamen invita, ducatur ad aliquid, nullo modo conferenda eſt. Perinde quaſi et hoc ipſum, quod invita non ſit voluntas, ab ipſa voluntate pendeat, quae nimirum quidpiam neceſſario velit, ac non potius ab eo, qui, ut invita non ſit, per ſummam neſcio quam potentiam, atque virtutem efficiat. Si neceſſario voluntas ma-

lum amat, quid a bruto differt animante, quod neceſſario quidpiam appetit, aut fugit, atque hinc neque laude ac proemio, neque vituperatione ac poena dignum exiſtimatur?

Quae cum ita ſint, evidenter apparet, in Manichaeorum doctrina verum morale malum eſſe non poſſe; atque hinc, cum eſſe morale malum et Manichaei, Bayliuſque concedant, et homines fere univerſi ſentiant, ad maximum atque praecipuum φαίνομενον explicandum prorſus ineptam eſſe doctrinam, quae pro φαίνομενοις explicandis a Baylio praecipue commendata eſt.

Praeterea doctrina eadem ex alio capite originem mali moralis haud ſatis explicare, tum Baylio tum Manichaeis videri debet. Nolunt enim ii divini Numinis in eo Sanctitatem agnoſcere, quod ſcelera permittat, atque peccata, cum ea nullo negotio impedire pro ſua virtute poſſet. Hinc ad Hypotheſim duorum Principiorum illi confugiunt. Atqui evidens omnino eſt, etiam in doctrina Manichaeorum, prout ſaltem a Baylio explicatur, Principium illud Bonum plurima poſſe mala permittere, quae ſcilicet, ſi vellet, impediturum eſſet. Quid enim induciae illae ferunt inter utrumque Principium initae, niſi quod Principium bonum innumerabilibus malis producendis a Principio Malo pro viribus non obſiſtat, quemadmodum et malum plurimis non obſtet bonis producendis a Principio bono? Jam vero permiſſio malorum ſi ſemel non indigna dicatur

catur Deo, univerſa corruunt, quae adverſarii comminiſcebantur; neque doctrina de duobus Principiis, ex eo quod originem Mali felicius explicet, doctrinae unicum Principium rerum omnium agnoſcenti praeferenda eſt. Neque enim ex eo capite praeferri debet, quod melius φαίνομενα declaret; cum quod in hujuſmodi φαίνομενοις arduum, atque difficile declaratu eſt, aeque (ut levius dicam) illa non explicet, atque alia, ad quam evertendam inducebatur.

Caeterum et illud obiter hic eſt animadvertendum: non modo Manichaeos recentiores (1) con-

(1) Si de antiquioribus inſtituatur ſermo, videntur alia ſenſiſſe: ſcilicet malum Principium, quod Hylen Graece, Latine Materiam vocabant, interdum etiam appellabant Daemonem, aut Diabolum, hoc, inquam, principium, ſive materiam auctam fuiſſe immenſa ſobole filiorum, quam *gentem tenebrarum* appellabant, ejusdem naturae ac malum Principium. Hoc autem tantum roboris ac virtutis habuiſſe dicebant, ut vim inferre poſſet, ac neceſſitatem Principio bono; cui multa proinde ab inimico ſuo toleranda eſſent. Lege Augustinum *De Vera Religione C. IX.* ubi narrat Manichaeos docuiſſe „ *Gentem tenebrarum quodam tempore adverſus Deum rebellaſſe, Deum autem, cum quod aliud faceret non haberet, et quomodo aliter poſſet hoſti obſiſtere non inveniret, neceſſitate oppreſſum miſiſſe huc animam bonam, et quamdam particulam ſuae ſubſtantiae, cujus commixtione, atque miſcella hoſtem ſuperatum eſſe ſomniant, et mundum fabricatum* „ Hinc omnia duplici natura, imo anima, conſtare dicebant; bona, quae pars erat Dei boni, mala, quae pars erat Principii mali, ſimul permixtis et conglutinatis, poſt eam rebellionem, ac praelium. Quare idem Auguſtinus *Lib. de Geneſ. ad litter. imperf.* C. V. „ *Stirpes et arbores nonnulli nimis errantes haeretici non ſolum ſentire per corpus, ideſt videre, audire, et calorem, ignemque diſcernere, ſed etiam intelligere per rationem, et cogitationes noſtras, arbitrantur* „ Idem ob rationis paritatem dicere debebant de Lapidibus, Metallis, caeteriſque mixtis, aut elementis. Luculenter iidem praedicabant, duas in Homine animas inveniri, Bonam ex natura Principii boni, Malam ex natura Principii mali „ *Manichaei*, inquit Auguſtinus *Lib.* I. *Retractat. C.* 18., *duas animas in uno homine eſſe delirant, illam ſcilicet malam propriam carnis eſſe dicentes, quam carnem etiam dicunt eſſe gentis tenebrarum: illam vero bonam ex adventitia Dei parte, quae cum tenebrarum gente conflixerit, atque utramque miſcuerit, et omnia quidem bona hominis bonae illi animae, omnia vero mala malae illi animae tribuunt* „. *Et lib. de Continen.* C. V. „ *Manichaei excuſationem ſuam extendunt in accuſationem Dei*, di-

Digitized by Google

concedere, ſed et omnino concedere debere, permiſſionem ipſam malorum non eſſe cenſendam Principio bono prorſus indignam. Id enim ſi eſſet, evidenter eſſe non poſſet, quod eſſe poſſe omnino evidens eſt: ſcilicet mala culpae, maloſque homines exiſtere. Neque enim eſſe poſſet, quod ut non eſſet, infinita Perfectio, et Omnipotentia ipſa, cui nihil obſiſtere queat, neceſſario exigeret.

Auguſtinus quidem egregie illa ſcripſit „ *Sicut ratio vera docet, meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum, ita ratio vera nihilominus docet etiam illam bonam eſſe, quae habet poteſtatem, illicitam delectationem, ſi extiterit, ita cohibere, ut non ſolum de caeteris licitis, recteque factis, verum etiam de ipſius pravae delectationis cohibitione laetetur* (1) „ Jam ſi hujuſmodi natura poteſt eſſe, neceſſario Deus poteſt mala permittere. Niſi enim id poſſet, natura illa, ut planum eſt, *de ipſius pravae delectationis cohibitione laetari* nullo modo poſſet. Laetitia ſiquidem haec de virtute eſt, ac recte facto, quod, ſi ne Deus quidem poſſit mala permittere, nulla ſit laude dignum. Quis enim eo te

divino judicio miſeri, ſuo autem furore blaſphemi, et tunc ſe peccare dicunt, quando natura mala praevalet naturae Dei. Haec Manichaeorum eſt immundiſſima inſania „ Sed caput hoc Manichaeae doctrinae tam aperte videtur abſurdum, ut neminem ingenii quantumvis exigui hominem facile moveat. Si enim Principium bonum dicitur eſſe ſumma Perfectio, qua careat Principium malum, evidens eſt. unum alteri virtute ipſa, et robore ita praeſtare, ut nihil ab ipſo mali, praefertim invitum, atque repugnans, unquam paſſurum eſſe videatur.

(1) *De Geneſ. ad litter. L. XI. C. 7.*

te laudet, quod id non feceris, quod facere nullo modo poteras?

Haec, aut ego fallor, optima ratio eſt Manichaeorum errores, ac Baylii ipſius argutias confutandi. Cum enim aliquid a Deo fieri omnino poſſe conſtitueris, quis jam, illud a Deo factum eſſe, jure miretur? Neque enim in Deo locum habet, quod habet in homine, aliquid ipſum poſſe naturali virtute pro libito efficere, quod turpe ſit, indecorum, ac malum. Haec omnia tam non poteſt Deus, quam deſtruere ſe ipſe non poteſt. Scilicet Dei Virtus, atque Potentia, ſi proprie loqui velimus, ad ea non eſt, quae cum aliquo Dei attributo, atque hinc cum ipſa ejus natura, et eſſentia, revera pugnant. Quamobrem ſapienter illi a gravioribus Theologis reprehenſi ſunt, qui poſſe Deum mentiri, poſſe innocentes damnare, poſſe alia ſimilia, ſed tantummodo nolle, tradiderunt. Itaque cum videas in creatis rebus locum habere cujuſque generis mala, hinc et ipſum Deum poſſe mala permittere, nec non ſanctiſſimos ad fines, quos nobis ignotos eſſe mirum videri non debet, ipſum permittere, tibi colligendum eſt (1).

At

(1) Similem huic noſtrae rationem ſecutus eſt ipſe Baylius, cum Joanni Clerico (*le Clerc*) Poenarum Æternitatem neganti ita reſpondit, ut non eſse, quae pertinent ad ipſius Dei Bonitatem, ex noſtris notionibus aeſtimanda demonſtraret. Etenim Baylius ipſe, quidquid experientia conſtet a Deo fieri, Deum ipſum decere, graviter affirmat, etiamſi rationem, qua deceat, aut qua cum ipſius Dei Bonitate componatur, haud aſſequamur. Ipſius Baylii verba jam audiamus, quorum tam ſaepe ſexcentis in locis omnino videtur oblitus „ *Il trouve donc* (*Jean le Clerc*) *fort raiſonnables*

At ſi, iis omnibus omiſſis, ſanctiſſimos fines explicare velis, propter quos Deus aliqua faciat, incertam ſaepe fateberis orationem debere conſiſtere (1). Iis certe praeſuppoſitis, quae praeſupponuntur a Patribus, tum demum ea locum habent, quae de finibus ipſius Dei graviſſima iidem oratione diſſerunt. Cum enim ſine dubio poſſit Deus mala permittere, nihil inconveniens affertur, ſi fines aliqui per ſe boni ac laude digni aſſeruntur, quos Deus ipſe forſitan intendat, cum revera hujuſmodi mala permittit.

Sanctorum Patrum doctrinam in pauciora colligens Leonardus Leſſius haec ait (2) „ *Malignitas*

nables ceux qui croient la Trinité ſans en avoir aucune idée. Comment pourroit-il donc condamner ceux qui lui diroient qu' ils n'ont point d' idée de la bonté de Dieu, et que cependant ils croient que Dieu eſt bon? Je ne ferois point de difficulté de lui avouer, non pas que je n' ai aucune idée de la bonté de Dieu, mais que l' idée que j' en ai eſt imparfaite, et confuſe, parce que je ne connois point comme la bonté de Dieu eſt compatible avec les choſes, avec les quelles la bonté en général me paroît manifeſtement incompatible, ce qui n' empêche pas que je ne croye, que Dieu eſt bon, car dans la conduite de Dieu le fait entraîne le droit néceſſairement. Il a permis le mal moral qui devoit être ſuivi du mal phyſique; c' eſt un fait indubitable; il faut donc qu' une telle permiſſion ſe puiſſe ajuſter avec la bonté, que les notions communes ne font connoître. Tous les Theologiens orthodoxes nous apprennent que pour ſçavoir ſi une certaine conduite eſt une imperfection, ou bien une perfection à l' egard de Dieu, il faut conſulter la révélation, et l' expérience, et non pas les idées ſpeculatives que nous avons dans l' eſprit, qui nous tromperoient à coup ſûr „ Haec ille habet *in lib. cui tit. Entretiens de Maxime, et Themiſte* p. 122. 123.

(1) Id multo magis continget, ſi Joannem Clarkium imiteris in libro anglico, cui titulus eſt „ *Diſquiſitio de cauſa et origine mali moralis* „ Illuc enim tandem aliquando revolvitur ejus oratio, a quo exordium ſumere debuerat. Etenim, ut de illo Acta Lipſienſia loquuntur ad annum 1723. „ *evincere conatur defectus et irregularitates in mundo morali neutiquam repugnare notioni, quam natura de Deo habemus. Etenim mala moralia ex eſſentiis rerum finitis, et limitatis neceſſario reſultare, et vi generalium, et regularium legum ad directionem actionum praeſcriptarum locum habere, adeoque Deum majores perfectiones largiri non poſſe, niſi quas ſtatus et capacitas ſubjecti patitur. Videtur tamen in his omnibus aliquid arbitrarii admittere quod in merum beneplacitum Numinis reſolvatur* „.

(2) *Lib.* I. *de Providentia Numinis C.* 3.

Digitized by Google

gnitas iniquorum non fruſtra a Deo permittitur, quia per illam excitatur, et exercetur, et illuſtrior apparet virtus juſtorum, et occaſio datur meriti majoris, atque coronae. Infinita ſeges bonorum mundo deerit, ſi Deus in hac vita iniquos ſemper coërceat. Tolle injurias iniquorum, non erit juſtorum patientia, tolle Tyrannorum ſaevitiam, non erit Martyrum gloria. Eadem impiorum malignitas deſervit ad punienda peccata juſtorum, quae ipſi ſubinde committunt, imo etiam ad punienda aliorum iniquorum peccata. Quid frequentius in ſacris litteris, quam quod Deus malitia Aſſyriorum, Chaldaeorum, Perſarum, Ægyptiorum, Romanorum, aliorumque impiorum uſus ſit ad populum Judaicum, aliaſque gentes caſtigandas, permittens eos ſecundum certam temporum, locorum, perſonarum, calamitatum, et ſuppliciorum menſuram in populum Dei, aliaſque nationes graſſari. Hanc rationem omnibus ſaeculis ſervavit, et vero ſervabit Deus „.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Perfectiſſima Dei Providentia probatur, et contra eam impie dicta confutantur.

LOcus ipſe poſtulare videtur, ut qui perfectiſſimam Dei Providentiam ab aliquibus veterum ac recentiorum Manichaeorum calumniis vindicavimus, aliquid etiam contra caeteros hominum errores eidem Providentiae contrarios accurata oratione diſputemus.

Neque tamen, ut eſſe Deo conditarum rerum Providentiam oſtendamus, magnopere laborabimus. Etenim hujus rerum univerſitatis, quam incredibili ſapientia cum pari bonitate potentiaque conjuncta molitus eſt, omnem a Deo abjectam fuiſſe curam, ille qui affirmet, verbis quidem relinquere Deum infinite perfectum, re autem ipſa de medio ſummovere facile deprehenditur.

Non is profecto fuit antiquitatis etiam ethnicae ſenſus. Quid enim arae, quid delubra, quid templa volunt, quid ſacra ſtatis temporibus conſtituta, quid demum preces, quid vota declarant, niſi magnam geri noſtrarum rerum, perpetuamque curam a ſapientiſſimo aliquo, ac praepotenti Deo? Antiquiſſimos certe cujuſque gentis poëtas, qui populares plerumque ſenſus de divina Natura ſequuntur, divinam ſaepiſſime Providen-

Digitized by Google

tiam praedicare, ſi quis inficiatur, in illorum lectione nihil exercitatus apparet.

Θεὸς διὰ πάντα θελεύται; ideſt *Deus omnia perficiebat*, non ſemel canit Homerus, qui et ſaepiſſime aliis in locis, imo multo magis quam res ac veritas ſinat, noſtrarum rerum curis implicitam exhibet Divinitatem. Graviora illa ſunt, quae canit Heſiodus „ *Quid enim abſque Jove a mortalibus perficitur, quid horum Jupiter non gubernat?* „ Et alia ſimilia perſaepe. Quamobrem ab Heſiodi mente non aberravit antiquiſſimus ille poeta, qui ſcilicet in ipſo exordio verſibus ejusdem de Operibus, ac Diebus praefixo de Jove illa cecinit.

„ *Per quem mortales homines* (ſunt) *pariter obſcurique, clarique,*
„ *Nobiles, ignobileſque, Jovis magni voluntate:*
„ *Facile enim extollit, facile etiam elatum deprimit:*
„ *Facile praeclarum minuit, et obſcurum adauget,*
„ *Facileque corrigit incurvum, et ſuperbum deſiccat*
„ *Jupiter altinonans, qui ſupremas domos incolit.*
„ *Audi intuens, et auſcultans ec.*

Aſſenſu etiam omnium, quod Cicero teſtatur, dicere potuit inter Latinos Ennius

„ *Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes, Jovem.*

Jovem nempe, ut idem ſubjicit Cicero, et dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et, ut idem Ennius,

„ *Patrem Divumque, Hominumque,*

 quem

quem forraſſe locum colligens ex Ennii ſtercore gemmas Virgilius imitatus eſt dum cecinit (1).
„ *O qui res Hominumque, Deumque*
„ *Æternis regis imperiis, ac fulmine terres.*

Philoſophorum vero inter ſectas quicumque dignius de Divina Natura ſentiebant, agnoverunt mundum aut univerſum, aut nobiliores certe partes ipſius providentia Numinis alicujus adminiſtrari. Sed omnium graviſſime Socrates eamdem providentiam et aſſeruit apud Xenophontem (2), et ab illiberali, quo poſtea uſi ſunt Epicurei, argumento vindicavit „ *Animadverti*, inquit ille, *mentem tuam etiam dum ineſt in corpore ex arbitratu ſuo corpus gubernare. Quamobrem exiſtimandum eſt, ſapientiam illam, quae eſt in hoc univerſo, ſic omnia regere, quemadmodum ipſi gratum eſt. Num tuus oculus ad multa uſque ſtudia pertingere potuit, et non poteſt Dei oculus ſimul omnia intueri? Numque tuus animus tum de rebus, quae hic accidunt, tum de illis, quae in Ægypto ſunt, et Sicilia, cogitare poteſt: et non poteſt Dei ſapientia ſimul omnium habere curam?* „

Caeterum ne quis veterum auctoritati nimium nos confidere putet, eſſe Deo rerum univerſarum providentiam et curam, facili ratione demonſtramus. Quid enim Providentia eſt, de qua loquimur, et quaerimus? ***Providentia***, Boëtius

(1) *Æneidos* I.
(2) *De dictis et factis memorabilibus Socratis p. m.* 576.

tius ait (1), *eſt ars ordinans res ad ſuos fines per media convenientia* „ Divo autem Thomae (2) Providentia eſt „ *Ratio ordinis partium in toto, et ordinis rerum in finem* „ Jam vero, cum a Deo res fuiſſe conditas hoc loco ſumamus, quod tamen aliud agentes initio operis, niſi fallor, ſatis oſtendimus, quin rationem et ordinem in easdem induxerit, dubitare non poſſumus. Niſi enim id egiſſet, temere omnino et inſipienter easdem condidiſſet.

Hac ratione illi etiam arguuntur, ut vides, qui Dei Providentiam Coelorum orbibus includebant; qui tamen vel ex eo convinci potuiſſent, quod plurima ad uſum hominum ac felicitatem, ut Philoſophorum principes agnoſcunt, in coelis fiant „. *Æquum autem eſt*, ait optime Grotius, *ut magis curetur id, cujus gratia eſt aliud, quam quod in uſum alterius comparatum eſt* „.

Eadem ratio efficit, ut a Deo, non modo quae magis generalia ſunt, ſed et ſingula quaeque curari dicamus; ex quo et illud contra Bolingbrokium conſequitur, non modo totius a Deo Reipublicae, ſed et privatorum quorumcumque curam vel maximam geri (3). Etenim ſingulos homines (idem de caeteris dicas, etſi minimis, rebus) condidit ipſe Deus, cujus profecto

(1) *Lib. IV. de Conſolat. Proſa 6.*

(2) I. P. Q. 22. *art.* 1., quo etiam teſte „ *ordinare haec media eſt providere; ſubminiſtrare eſt gubernare* „.

(3) *Vid. Bibliotheq. des Sciences To.* I. P. 2. *art. 6. Leland Anal. des Oeuvr. des principaux Deiſtes Vol.* II. *Lett.* VII. *alioſque.*

Digitized by Google

to Sapientiae atque Potentiae nullos poſſe fines conſtitui vidimus. Singulos ergo ad aliquem finem condidit ſua ſapientia dignum, et ejusdem Sapientiae amore ſingulis ea ſuppeditavit, atque ſuppeditat, quibus eumdem finem conſequi poſſint. Praeclare autem Grotius ea ſcribit, quae totidem hic ipſius verbis aſſerimus „ *Providentiae*, inquit, *divinae circa res hominum non leve argumentum et philoſophi, et hiſtorici agnoſcunt in conſervatione rerum publicarum: primum univerſim, quod ubicumque ordo ille regendi, parendique receptus eſt, manet ſemper: deinde ſaepe etiam ſpecialiter in longa duratione hujus aut illius formae imperii per multa ſaecula, ut regii apud Aſſyrios, Ægyptios, Francos; Optimatum apud Venetos. Quamquam autem humana ſapientia aliquid in hoc poteſt: tamen ſi recte conſideretur multitudo malorum hominum, et quae extrinſecus nocere poſſint, et agnatae quaſi rebus viciſſitudines, non videtur tamdiu imperium aliquod poſſe ſubſiſtere, niſi peculiari quadam divini Numinis cura, quae evidentius etiam ſpectatur, ubi Deo viſum eſt mutare imperia. Nam quibus ille tum ad eam rem, tamquam ſibi deſtinatam, inſtrumentis utitur, puta Cyro, Alexandro, Caeſare Dictatore, his omnia, etiam quae ab humana prudentia non pendent, fluunt ſupra votum magis quam fert ſolita caſibus humanis varietas: quae tanta eventuum ſimilitudo, et ad certum finem quaſi conſpiratio, indicium eſt pro-*

vidae

Digitized by Google

vidae directionis. Nam in alea venerium aliquoties jacere caſus eſſe poteſt; at centies ſi quis eumdem jaciat, nemo erit qui non hoc ab arte aliqua dicat proficiſci. At certiſſimum divinae Providentiae teſtimonium praebent miracula, et praedictiones, quae in hiſtoriis extant ec. „ (1)

Cum haec audiunt, aut ſimilia ſupremi Numinis hoſtes, nihil antiquius habent, quam ut plurima, quae ſunt in rebus, mala, ſcelera videlicet, aerumnas ac poenas, quibus humanum premitur genus, longa oratione congerant, ut non eſſe Deo Providentiam, aut Bonitatem, efficiant. Recte hujuſmodi homines Tertullianus appellat „ *Cenſores Divinitatis, dicentes: ſic non debuit Deus, et ſic magis debuit* (2) „.

Contra eos optime illa faciunt, quae ſcriptor caeteroqui perditiſſimus Spinoſa, cogente quodammodo ipſa veritate, conſcripſit „ *Quidquid ergo nobis ridiculum, abſurdum, aut malum videtur, id inde eſt, quod res tantum ex parte novimus, totiuſque naturae ordinem, et cohaerentiam maxima ex parte ignoramus, et quod omnia ex praeſcripto noſtrae rationis ut dirigerentur volumus; quum tamen id, quod ratio noſtra malum eſſe dictat, non malum ſit reſpectu ordinis, et legum univerſae Naturae, ſed tantum ſolius noſtrae naturae legum reſpectu* „ (3)

at

(1) *De Verit. Relig. Chriſt. Lib.* I.
(2) *Contra Marcion. L.* III. *c.* 2.
(3) *In Tract. Politic. C.* II. §. 8.

At iis omiſſis illam nobis tenere ſufficiat de ſumma Dei Perfectione doctrinam, quam hactenus explicuimus. Si enim ſumme Perfectus eſt Deus „ *non dubitandum eſt*, ut ait Auguſtinus (1), *eſſe juſtum etiam, quando facit, quod hominibus videtur injuſtum* „ Similiter dubitari non poteſt, quin ſapienter id conſtitutum fuerit, cujus omnino rationem ignoramus.

Iſta ſi teneas, illud argumentum facile labefactabis ab Atheis propoſitum, ne Deum eſſe aut ſapientem, aut potentem, aut providum arbitremur. Si enim, ajunt illi, plurima ſunt in hac univerſi orbis tanta mole pulcherrima, noſtriſque uſibus maxime apta, ſunt etiam deformia, ſunt etiam inutilia, vel noxia quamplurima. Quare, ſi ex illis artifex ac moderator univerſi orbis ſumma ſapientia et potentia pollens intelligi poteſt, quid non ex his cauſa temere agens, qualis eſt caſus, aut alia quaelibet mente non praedita, totam hanc tantorum corporum congeriem coagmentaviſſe videatur? Animalia, quod membris ea conſtent, quae ſuis apprime uſibus utilia ſunt, Deus neſcio quis in lucem edidiſſe dicitur. Quid ergo, ajunt illi, cum multa iis membris carentia, vel ab ipſa nativitate capta videamus, non a caſu prodiiſſe dicenda ſint? Pluvia, ventique, et ſtatae anni viciſſitudines, quae ſcilicet efficiunt, ut quamvis avido pareant arva colono, ſapientem pleriſque referre videntur auctorem. Cur ergo et grandines

(1) *L. cent. ſentent. ſ. 300.*

nes illius vota laboreſque perdentes, et horribiles peſtilenteſque Auſtri vel Boreae flatus, quaeque atro incumbunt pelago tempeſtates, nullius conſilii non videntur effectus eſſe, vel opera? Qui loquitur in hunc modum, profecto non veritatis inquirendae ſtudio ſeſe teneri, ſed ſapientiſſimum Naturae auctorem calumniandi libidine agitari ſeſe demonſtrat.

Sed omnem hanc rem, quae maximi momenti eſt ad ipſam Dei Providentiam ex omni parte perfectam pleniori ratione declarandam, fuſius perſequamur. Principio igitur, cum in aliqua congerie partes occurrunt ordinatae, ac partes inordinatae, conſiderare oportet, quam rationem habeat numerus, et qualitas errorum ad numerum et qualitatem recte ordinatorum. Si haec prae illis exigua ſint, ac fere nulla, utique non potes ex illis inferre, congeriem, de qua loquimur, a cauſa eſſe, quae mente praedita ſit, atque conſilio. At ſi, quae recte diſpoſita non ſunt, omnino pauca ſint, et exigua, ut merito contemnantur, nemo poteſt ex iis, niſi per ſummam amentiam, inferre, temere prodiiſſe congeriem illam, tanta caeteroquin elegantia, et partium connexione elaboratam. Sic e. g. ex eo quod in volumine aliquo occurrant aliquae litterae, aut etiam aliqua verba non ſuo loco poſita, dicimus, haec eſſe menda Typographi, aut ipſius certe Scriptoris errores. At quis erit adeo inſanus, ut inde affirmare velit, ea volumina, in

quibus occurrunt hujuſmodi errores, a cauſa extitiſſe, quae litteras ignoraverit, aut litterarum formas nullo modo diſtingueret? Id quidem merito diceremus, ſi in denis millibus litterarum inordinatarum duo tantum aut tria verba quidpiam ſignificantia ſeorſum diſpoſita occurrerent. At cum inter plurima ſignificantia nullius aliquod ſignificationis occurrit, potius correctionem inquirimus, ut Scriptoris mentem aſſequamur, quam ut illum mente caruiſſe, aut temere litteras diſpoſuiſſe, ſuſpicemur. Idem fere dicas in re noſtra, ſi tam magna tam parvis comparanda ſunt.

Occurrunt in hac tantarum rerum tanta congerie nonnulla, quae non videntur ad ordinis normam exacta. Aliqua enim animalia caeca naſcuntur, aut muta; ſunt aliquibus in regionibus adeo noxiae coeli tempeſtates, ut omnes agricolarum labores ac vota fruſtrentur; ſunt alia ſimilia, de quibus nimirum tantas impii homines tragoedias excitant. Sed univerſae hujus generis ἀνομαλίαι quam exiguam habent rationem ad totam congeriem partium rite ordinatarum! Quis non fateatur, modo ſapiat, multo minorem eam eſſe rationem, quam tot mendorum aut erratorum, quae in aureis Tullii voluminibus offenduntur, ad litterarum recte ordinatarum multitudinem, atque copiam? Quae cum ita ſint, nemo non mentis expers libenter agnoſcet, ex omnibus, quae ſunt in ipſa rerum univerſitate, malis non illud effici, mundum a cauſa quapiam temere agente aut extitiſſe olim, aut hodie regi. At,

At, inquies, ſaltem ex iis omnibus inferri debet, hanc eſſe cauſam vel ſapientiae, vel potentiae limitibus circumſcriptae. Haec enim illatio locum habet in iis, quae diximus, univerſis. Sed ne iſta quidem illatio generatim, ac ſemper aliquid valet, et in re praeſertim noſtra nulla profecto eſt. Quemadmodum enim, cum ex horum alterutro oriri poteſt ἀνωμαλία, ex peculiaribus adjunctis, quae rem circumſtant, definimus, utri ſit tribuenda; ſic etiam poſſumus ex ſimilibus adjunctis cognoſcere, neque inſipientiam, neque imbecillitatem artificis malo, de quo loquimur, cauſam praebuiſſe.

Rem explico exemplis. Si munimenta urbis prope rapidum amnem, aut ingentem paludem conſtitutae flexuoſa deprehendantur, et ex partibus compoſita, quae non ſunt ejusdem ubique magnitudinis, quis inde paupertatem Architecti, vel Regis, cui paruit Architectus, irrideat? Dicent nihilominus quicumque ſapiunt, neceſſitati Architectum paruiſſe, neque meliora effeciſſe, quod effici meliora non poſſent; verumtamen ſcientiam Architecti exiguam fuiſſe, nemo poſſet inferre; quia ſcilicet manifeſte colligimus ex ipſa inaequalitatum apta diſtributione, illum, qui in reliquis partibus munimenta urbis tam concinne diſpoſuit, tantam in arte ſua peritiam habuiſſe, ut has inaequalitates numquam admiſſurus eſſet, ſi evitari commode potuiſſent. Itaque natura loci coactum eſſe dimenſiones immutare, cum flumen arcere non poſſet, aut par non eſſet exiccandae

paludi. Contra vero ſi in loco aperto aedificium quodpiam occurrat amplum, atque magnificum, in quo ſcalae penitus luce careant, nemo impotentiam, at omnes inſcitiam Architecti redarguent. Ratio autem in promptu eſt. Nempe nihil erat cauſae, cur non in eo loco diſponi poſſent, ubi lumen acciperent, et, qui potuit aedes tam amplas conſtruere, veriſimile non eſt ſumptibus parcere voluiſſe, quominus haberet partem hanc aedificii ſatis illuſtratam. Demum ſi quam picturam aut ſtatuam nondum perfectam ab artifice deſtitutam quis intueatur, neque potentiae, neque ſapientiae in eodem exiguitatem reprehendet, dummodo ex aliis ejuſdem operibus nobis conſtet, et ejus artis illum peritum eſſe, et vires adhuc habere, quales ad hujuſmodi opera requiruntur. Nimirum qui tot alia poteſt in eodem genere vel aeque vel magis etiam difficilia, hoc utique etiam poſſet, ac recte novit qua ratione perfici debeat. Quamobrem quidquid in hoc opere imperfectum eſt, non ſcientiae, aut virium imbecillitati, ſed voluntatis arbitrio tribuendum eſt. Hoc ſimile ad rem noſtram transferri debet.

Laborat aliqua regio ſiccitate, et oculus efformatur non ita raro ad videndum inutilis. Quis propterea cauſam, cujus tantam ădmiramur ubique ſapientiam, et potentiam, aut prorſus ignorare, quid faciendum eſſet, ut imbres ad eam regionem irrigandam confluerent, aut illud efficere non poſſe, ſuſpicetur? Quis eam ignorare putet,

tet, quid ad perfectionem oculi requiratur, aut non ſatis virium habere ad hoc ipſum praeſtandum; quod in aliis innumerabilibus tam facile praeſtitit? Quamobrem non aliud reſtat, niſi ut cauſam eam ob ſapientiſſimum aliquem finem dicamus id efficere noluiſſe, quod et ſciret efficere, ſi vellet, et poſſet.

Cur autem noluerit, cauſae potuerunt eſſe tam multae, ut fere nullam ſine magno erroris periculo definituri ſimus. Primo quidem ſi materiae ſunt aliquae proprietates *eſſentiales*, ut vocant, et *metaphyſicae*, potuerunt quidem ἀνομαλίαι imminui, at non omnino tolli, quin tamen haec impotentia quidpiam eſſe in Divina Natura non ſatis perfectum oſtendat; cum potentia ad ea, quae non poſſunt eſſe, nulla revera ſit. Sic e. g. ſi materiae eſt eſſentialis gravitas mutua in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, aliquae neceſſario eſſe debent in ſiderum motibus perturbationes; et eae quidem poſſunt imminui augendo diſtantias, et differentias maſſarum, uti revera ſunt imminutae; at non omnino nullae evadere poſſunt.

Sin autem nulla ſit eſſentialis et metaphyſica materiae proprietas, quod ego verum puto, quaecumque ſunt ἀνομαλίαι conſequentur quidem ex ipſo rerum ordine, quem pro ſua voluntate naturae auctor induxit. Sed malle potuit ordinem, in quo eſſent, quam alium, in quo non eſſent, primo quidem, quia integrum illi fuit facere

quae-

quaecumque libuit. Egregie enim illa D. Thomas, ut reliqua; divinae voluntatis cauſam, ſi penitus rem inſpiciamus, praeter voluntatem ipſam haud aliam eſſe dicendam.

Sed et eumdem ordinem velle potuit ob innumerabiles fines ab hominibus fruſtra requirendos. Potuit etiam plurimas ſpectare utilitates, quae ex ipſis malis, ordiniſque perturbationibus conſequuntur, partim in perditis hominum moribus corrigendis, partim ad exercendam virtutem, partim etiam ad fovendam vitae ſocietatem.

Illud etiam diligentiſſima conſideratione dignum videtur: fieri potuiſſe, ut ſumma rerum ſine malis hujuſmodi conſtituta non eſſet, quin in alia quaedam incurreret, quibus ad fines a Deo libera ſibi voluntate propoſitos minus idonea fieret. Caeterum ſi totam rerum univerſitatem, atque praecipuum ejus finem plene intueri poſſemus, ut ipſe Deus intuetur, intelligeremus ea ipſa, quae mala et ordinis perturbationes vocamus, omnia eſſe ſapientia et bonitate pleniſſima.

Quod enim inordinatum, *abſurdum, aut malum nobis videtur, id inde eſt* (haud enim erubeſcam hoc loco Athei hominis, et Atheorum ſui temporis facile principis, iterum laudare ſententias, cum impietati hominum, non autem impiis ipſis hominibus bellum indixerim) *quod res tantum ex parte novimus, totiuſque naturae ordinem, et cohaerentiam maxima ex parte ignoramus, et quod omnia ex praeſcripto noſtrae*

ſtrae rationis et voluntatis ut dirigerentur volumus ; quum id quod ratio noſtra malum eſſe dictat, non ſit malum reſpectu totius ordinis, et legum univerſae naturae, ſed tantum ſolius noſtrae naturae legum reſpectu „.

Facit huc etiam graviſſimus auctor D. Thomas, ubi docet (1) „ *quod aliter ſe gerere debet proviſor particularis, aliter univerſalis. Particularis debet excludere omnem defectum ab individuis, quorum curam habet. Univerſalis debet permittere defectum in partibus, ut habeatur augmentum perfectionis in toto* „. (2)

CAPUT

(1) *I. P. Sum. Q. 22. a. 2. ad 2.*

(2) Doctrinam hanc a D. Thoma didiciſſe Baylius videri potuit, cum illa ſcripſit egregia (*Penſ. ſur la Comete* §. 231.) „ *Je ne ferai point ſcrupule de dire que tous ceux qui trouvent étrange la proſperité des méchans, ont tres-peu medité ſur la Nature de Dieu, et qu' ils ont réduit les obligations d' une cauſe qui gouverne toutes choſes, à la meſure d' une providence tout-à-fait ſubalterne, ce qui eſt d' un petit eſprit ec.* „ Merito Leibnitius conqueritur, (*Eſs. de Theod.* P. II. §. 266.) tantum ingenium non eidem ſemper inſtitiſſe doctrinae, ſaepiuſque ſibi, quod illi ſuis omnibus in libris ſolemne fuit, etiam hac in re turpiter contradicere.

CAPUT XVI.

Ad Perfectiſſimam Dei Providentiam oſtendendam non eſſe doctrinam , quae dicitur Optimiſmus , ullo modo neceſſariam efficitur , quin et eamdem doctrinam omnino falſam eſſe demonſtratur .

PLurimi ſunt hac aetate homines ingenio doctrinaque florentes, qui Leibnitii doctrinam de optimo rerum ſtatu , ſive de optimo mundo, ita ſequuntur, ut , quotquot eam non recipiant, Philoſophos nullo modo argumentis contra perfectiſſimam Dei Providentiam excogitatis ſatisfacere poſſe arbitrentur . Putant illi nimirum, *ſcientia ſimplicis intelligentiae* (ut cum Leibnitio, praecipuo hujus doctrinae auctore (1) loquamur) ſapientiſſimum Deum vidiſſe ; mundos inter omnes, qui creari poſſent, hunc, qui creatus eſt, optimum omnino ac praeſtantiſſimum habendum eſſe : ſiquidem non de ſingulis ejus partibus ſeorſum conſideratis , at de omnibus una ſumptis ha-

(1) Sunt qui Leibnitium in Theodicaea doctrinam illam non ſerio, ſed joco propoſuiſſe putent. Nituntur autem illi fide cujusdam epiſtolae, quae dicitur ab ipſo Leibnitio ad Pfaffium (*M. Pfaff*) data. Cum enim hic, ſuſpicari ſe de hujuſmodi joco, datis ad Leibnitium litteris ſignificaſſet, haec ille reſpondit „ *Ce que vous m' ecrivez touchant ma Theodicèe eſt tres-vrai, vous avez frappé au but. Et je ſuis ſurpris que perſonne juſqu' à preſent ne ſe ſoit apperçu que j' ai voulu me divertir. Les Philoſophes ne ſont certainement pas toujours obligez d' agir ſerieuſement: en inventant des Hypothèſes, comme vous le remarquez fort bien, ils ſont des epreuves de la force de leur eſprit. Pour vous qui etes Theologien, vous agiſſez en Theologien lorſque vous refutez les erreurs de vos Adverſaires* „ Quid ſit de his litteris judicandum alii viderint. Putant enim nonnulli, Leibnitium, cum ad Pfaffium iſta ſcriberet, jocatum eſſe.

habeatur ſermo. In Mundo autem hoc omnium optimo plurima eſſe mala de quibus impii homines tantopere conqueruntur. Ea nimirum univerſa ejuſmodi eſſe, ut niſi Deus illa exiſtere ſineret, bona plurima, quae ad mundum hunc omnium optimum conſtituendum haud leviter faciunt, haud unquam exiſterent. Itaque voluntatem optimi mundi creandi rationem fuiſſe ſufficientem, quare Deus tot mala moralia permiſerit, tot phyſica eſſe decreverit.

Haec illa doctrina eſt, quam in elegantiſſimo Theodicaeae opere Leibnitius tam varia eruditionis copia proponit, tam accurato atque ſubtili dicendi genere exornat, tam novo atque divino ingenii acumine defendit. Haec illa eſt, quae per aureos Alexandri Popii verſus tanta orationis ubertate funditur; quae Chriſtiani Wolfii Theologiam naturalem, quae Baumgarteni Metaphyſicam tenet (1). Haec eadem eſt, quam nobilis medicus Muyſius in libro propugnavit (2), in quo multo plura ſunt, quae promittit, quam quae afferat, de Malo Phyſico et Morali nondum excogitata. Haec demum illa eſt, ut propiora temporibus noſtris ac locis attingamus, quae in Sermonibus Joannis Gualberti de Soria per Joannem Lamium atque alios tantopere exagitatis haud ita obſcure, mea quidem ſententia, proponitur: cum rationibus a Leibnitio deſumptis, et principio

 ſuf-

(1) *De qua vid. Acta Lipſ. IV. To. Supplem. ad Nova Acta.*
(2) *Muys Diſſertation ſur la Perfection du Monde ec.* 1750.

ſufficientis rationis innixis, omnia, quibus eſſe quam non eſſe praeſtabilius foret, omnia, quae ſimul eſſe poſſent (*compoſſibilia Entia* ille dicit) fuiſſe a ſapientiſſimo, atque optimo Deo creata contendit (1). Quin et ad eamdem doctrinam haud leviter inclinari videntur vetuſtiores quidam Scholaſtici, ut Alenſis, ut Albertus Magnus, ut Ruizius, ut Maurus (2).

Hanc autem doctrinam tum Leibnitius ipſe in Theodicaea, necnon in aliis ejusdem argumenti libellis, tum alii Scriptores, eo praecipue commendant, quod ipſa dumtaxat impiorum obtrectationibus de malo phyſico et morali ſatisfaciat. A quibus equidem ita diſſentio, ut nihil ipſos afferre arbitrer, quod communi doctrinae praeferendum ſit.

Si

(1) *Ita enim ille in libello, cui tit.* „ *Della Eſiſtenza di Dio e de' ſuoi attributi Fiſici e Morali* „ *Un Eſſere tanto ſapiente e poſſente altrettanto conoſce tutti i poſſibili generi, e ſpecie di coſe, diſcerne tutte le compoſſibili Gerarchie, delle quali la eſiſtenza, conſiderate tutte le coſe, è preferibile per loro al non eſſer prodotte: le può produrre: la ſua eſſenziale beneficenza ha un prepotente motivo di produrle anzi che nò, perchè le vede preferibili. Dunque le ha prodotte di fatto. Conoſcere preferibile la loro eſiſtenza al non eſſere, intendere che ſia meglio per loro l' eſiſter che nò, avere in conſeguenza il ſupremo beneficentiſſimo Autore ſufficiente ragion di produrle piuttoſto che nò, e non produrle di fatto ciò non oſtante, egli è un aſſurdo, una contradizione nella divina natura, egli è un anteporre il conoſciuto men ragionevole partito, il men benefico ſenza perchè, ed un poſporre il conoſciuto migliore, il più conforme ad una ſaggia, fecondiſſima, e benevolente Poſſanza, ſenza alcuna ragione in contrario, ſenzachè il voglia, cioè, alcuno intereſſe della ſuprema Cauſa: il che diſtrugge la divina Idea, e racchiude manifeſtamente queſta contradizione, che un Eſſere ſapientiſſimo, potentiſſimo, e al di ſopra di ogni timore, e di ogni biſogno, d' ogni paſſione .... o manca di ragionevolezza, non che di ſapienza, o manca di potenza, o di buona, e benefica volontà, ſenza motivo alcuno, ch' è implicanza ne' termini* „ Has rationes vide confutatas in prima ex 7. epiſtolis contra hunc Auctorem anno 1746. conſcriptis.

(2) *Vid. Maurum de Deo L.* II. *q.* 52.

Digitized by Google

Si mundus hic, ajunt, inter caeteros optimus mala phyſica et moralia neceſſario complectitur, ratio intelligitur, cur mala phyſica, et moralia Deus eſſe permiſerit. Voluntas enim optimi mundi permiſſionis ejusdem ratio ſufficiens eſt. Si haec Optimiſmi defenſores dicunt, quid nobis dicere non liceat: finem in ſuo genere perfectum, divinaque ſapientia dignum, quem ſibi Deus in omnium aut aliquarum rerum conditione propoſuit, fuiſſe permiſſionis ejusdem ſufficientem rationem? Neque enim ſi permiſſionis illius aliquam probabilem rationem eſſe poſſe, adverſarii ſemel conſtituant, unquam efficient, tantummodo voluntatem optimi mundi rationem hujuſmodi eſſe.

Quem finem Deus ſpectet, vel intendat, cum permittit aliquod malum, aut ſua voluntate inducit, nobis certo definire, aut divinari, plerumque non licet. Hoc tantum affirmamus, quod verum eſſe perſpecta ratio demonſtrat: cum Deus mala permittit, aut ipſe facit, aliquid ſine dubio velle bonum, et ejus quidem generis, ut ad illud habendum ea mala ſinere, infinitam Sapientiam nullo modo dedeceat.

Haec doctrina, ſi recte percipiatur ac defendatur, quid eſt, quod hoſtium divinae Providentiae argumenta non ſatis apte diſſolvat? Quid eſt, quod Baylii rationes, in quibus confutandis tam multus eſt Leibnitius, haud aeque diſſipet, ac doctrina ipſa Leibnitii de optimo rerum ſtatu?

Digitized by Google

An in ea doctrina reprehendes, quod bonum atque perfectum finem haud ſatis explicet, propter quem ſcilicet Deus mala permittat? Quid? An adverſariorum doctrina leviter attingit, qua ratione ad mundum omnium optimum tot mala conferant? An Muyſius, qui poſt Leibnitium et Popium nova ſe collegiſſe putavit ad hanc rem illuſtrandam momenta rationum, quidquam attulit, doctorum fere omnium hominum judicio atque ſententia, quod non multas quaeſtiones relinquat numquam humani ingenii acie ſolvendas?

Aliquid ſcilicet, omnibus fatentibus et nobis et adverſariis, in operibus ipſius Dei latere dicendum eſt, quod hominum mens numquam aſſequatur. Quid ergo reprehendere adverſarii poſſunt in eo, quod propter finem aliquem bonum ac divina ſapientia dignum, non tamen ſatis nobis cognitum, plurima per ipſum Deum permitti mala affirmemus? Aut qua ratione unquam probaturi ſunt, voluntatem dumtaxat optimi mundi conſtituendi rationem hujuſce finis habere poſſe?

Plurimi quidem rationes Leibnitii probant, propter quas permittere Deus peccata queat: quas rationes hoc loco totidem ipſius verbis afferemus. „*Generalis autem regula*, inquit (1), *eſt permittendi peccati Deo hominique communis, ut nemo permittat peccatum alienum, niſi impediendo ipſemet actum pravum exerciturus eſſet. Et ut*

(1) *In opere, cui tit. „ Cauſa Dei aſſerta per Juſtitiam ejus „* §. 38.

Digitized by Google

ut verbo dicam , peccatum permitti numquam licet , niſi cum debet , de quo diſtinctius infra §. 66. „ Ibi autem ita loquitur „ *Ut primum ad concurſum moralem permittentis reſpondeamus , proſequendum eſt quod ſupra dicere coepimus , permiſſionem peccati eſſe licitam (ſeu moraliter poſſibilem) cum debita (ſeu moraliter neceſſaria) invenitur : ſcilicet cum non poteſt peccatum alienum impediri ſine propria offenſa , ideſt ſine violatione ejus , quod quis aliis vel ſibi debet ..... Deberi autem aliquid apud Deum intelligimus , non humano more , ſed* θεοπρεπῶς , *quando aliter ſuis perfectionibus derogaret .* §. 67. *Porro ſi Deus optimam Univerſi ſeriem (in qua peccatum intercurrit) non elegiſſet , admiſiſſet aliquid pejus omni creaturarum peccato ; nam propriae perfectioni , et , quod hinc ſequitur , alienae etiam derogaſſet : divina perfectio a perfectiſſimo eligendo diſcedere non debet , cum minus bonum habeat rationem mali . Et tolleretur Deus , tollerentur omnia , ſi Deus vel laboraret impotentia , vel erraret intellectu , vel laberetur voluntate* „ .

Haec Leibnitius, quae mihi ſubtiliter, non autem ſapienter dicta videntur. Itane vero? Permittit Deus peccata, quia, niſi permitteret, aliquid ipſe perfectioni ſuae contrarium admitteret? Ergo metaphyſica neceſſitas ejus permiſſionis in ipſa rerum natura eſt. Etenim, quod Deus aliquid faciat infinitae perfectioni contrarium tam videtur

detur abſurdum, tam fieri non poteſt, quam non eſſe infinitam Deo Sanctitatem, atque Sapientiam. An vero non id ipſum infinitae Perfectioni ac Bonitati derogat, quod Deus ipſam debita gloria neque ſciat afficere neque poſſit, quin id eſſe vel invitus patiatur, quod ſummae Bonitati ſummopere contrarium eſt, videlicet ſcelus, atque peccatum?

Quale autem illud eſt, quod concedit Leibnitius, ſi conſtat ipſe ſibi, niſi Deus Adami peccatum permittere decreviſſet, futurum fuiſſe, ut non ſapientiſſime ſeſe gereret, atque hinc, ſi modo rem totam accuratius perpendamus, neque Spiritus infinite Sapiens, neque Deus exiſteret! Minus liber, quidquid Leibnitius dicat, hac ratione Deus, quam homo cenſendus eſſet. Ita enim homo ad plurima ſeſe habet inter ſe contraria, ut, quidquid eligat, haud ullum ejus natura et eſſentia detrimentum paſſura ſit. At Deus, ſi Leibnitii ſtet opinio, niſi ea vel agat, vel permittat, quae agere ipſum ac permittere novimus, continuo Deus eſſe ceſſabit. Niſi enim ea ratione ſe gerat, *ſuae perfectioni derogabit*. Atqui Deus *perfectioni ſuae derogans* multo magis quam chimaera, quam hippocentaurus, aut aliud quidlibet a furente Poëtarum ingenio excogitatum, eſſe non poteſt.

Quamobrem Solis ipſa luce clarius mihi videtur, quod in Leibnitii doctrina Deus, quidquid agat, tam neceſſario agat, quam neceſſario

ſe

Digitized by Google

ſe ipſe diligit, aut Pater Verbum, aut Pater ſimul et Verbum Spiritum Sanctum producunt; quod certe ſi dicatur ab ullo Philoſopho, vix erit quin impietatem ejus graviſſima reprehenſione dignam exiſtimaverit.

Caeterum hunc, qui creatus eſt, Mundum eſſe inter omnes, qui creari potuiſſent, optimum, nulla ratio adverſariorum mihi perſuadet. Contra vero, non optimum ea ratione dicendum eſſe, perſpicuum argumentum oſtendit. Res enim univerſae ſine dubio ſunt eo perfectiores, quo magis per ſimilitudinem quamdam ad ipſam Dei Optimi Maximi Perfectionem accedunt. Atqui Mundus eſſe potuiſſet, qui magis, quam hic in quo ſumus, divinam Perfectionem eo modo exprimeret. Mundi enim hujus perfectionem eſſe finitam, Dei autem eſſe infinitam, quis negat ex adverſariis? aut quis non facile videt, infinitam Perfectionem a finita quavis ita exprimi, ut perfectior expreſſio ſemper eſſe poſſit? Si enim finita Perfectio eſt; tot gradus, ut ita dicam, certo numero aut ſpecie definitos, non autem plures exprimere nata eſt. Ar in Perfectione infinita ſunt multo plures, qui poſſint exprimi, bonitatis gradus, ut rationem cogitandi ſequamur nobis uſitatam; vel potius, ſi veriora deſideres, infinita Perfectio infinitis Bonitatis gradibus, neque ſimpliciter infinitis, verum infinite infinitis aequivalet, qui certe, ſi rerum creatarum numerus certis limitibus circumſcribitur, neque modo exiſtunt, neque umquam exrituri vi-

de-

debuntur. Quae cum ita ſint, dubitare vix poſſe mihi videor, quin perfectior Mundus, quam ſit hic noſter, a divina Sapientia excogitari, et a divina Potentia produci potuiſſet.

Quid quod perfectio totius ex partium perfectione conſurgit? Mundus ergo, in quo partes univerſae perfectiores eſſent, perfectior quam hic noſter, in quo tot millia partium imperfecta ſunt, dicendus eſſet.

Scio quid jam opponas: perfectionem ais totius ex fine, ad quem partes ordinantur, ac diſponuntur, eſſe ſpectandam: fieri enim poſſe, ut minus perfectae partes perfectiſſimo fini melius omnino, quam aliae quaedam per ſe magis perfectae reſpondeant. Id equidem verum eſſe concedo; ſed et illud tibi concedendum eſt: ſi duo ſint opera, quae vel ad eumdem perfectiſſimum finem producantur, vel ad fines duos ejusdem inter ſe perfectionis, perfectius eſſe opus, abſolute loquendo, cujus perfectiores partes, quam alterum, cujus partes haud aeque perfectae ſint. In opere enim ipſo, non modo ratio finis, ut ita dicam, generalis, ad quem totum ordinatur opus, ſed et ipſa partium perfectio, quae ſingulis ſingularum partium finibus reſpondet, ſpectanda eſt. Sic, ſi duo pocula ſint ad vinum miniſtrandum apta, ſemper tamen illud pretioſius, nobilius, ac melius eſſe dices, quod ex auro, quam quod ex argento, ſeu vitro conſtat. Fac ergo duos eſſe mundos, qui finibus

ni-

Digitized by Google

nimirum, quibus aptantur a Deo, perfecta ratione reſpondeant. Illum ſemper alteri praeferre debebis, qui melioribus ex partibus, aut nobilioribus exiſtat.

Sit Mundus, in quo creatae res Dei Juſtitiam, ſit alter, in quo Dei Miſericordiam aliae creatae res optime oſtendant. Fines ambo ſunt optimi, ſunt divina Sapientia digniſſimi. Neque rationem afferes, quare Deus Juſtitiam potius quam Miſericordiam, aut hanc potius quam illam oſtendens, perfectius aut melius opus efficiat. At quis non facile videat, meliorem, ſi in ſe ſpectetur, mundum illum eſſe dicendum, qui ſanctis ex hominibus Dei Miſericordiam laudantibus componatur, quam qui ex ſceleratis, ultricem Dei Juſtitiam pro ſua impietate perpeſſis? Cum enim ambo ſint ii mundi, ſi conſiderentur in ordine ad fines generales, quibus aptantur, laude digniſſimi, tum alter alteri ſingulis operibus praeſtat, quae ſuos ad peculiares fines ita diſponuntur, ut haec magis quam illa Dei Opt. Max. quamdam ſimilitudinem exprimere videantur.

Quod autem adverſarii ſumere videntur, non poſſe perfectiorem, aut aeque perfectum excogitari finem, atque illum, cui Mundus hic aptatus a Deo eſt, diſtinctione indiget. Si enim id ita dicant, ut ipſius Dei gloria, ad quam omnia tandem aliquando referuntur, nihil melius, nihil optabilius, extra Deum ipſum, haberi poſſe velint, reprehenſione ſine dubio ea carebit ora-

tio. At gloria etiam Dei, neque modica eſſet, ſi mundum etiam minus perfectum, quam ſit noſter, produxiſſet. Sin autem id ita dicant, ut finis proximus totius rerum univerſitatis, qui ſcilicet in certa quadam perfectione, hoc eſt divinae virtutis aut bonitatis certa quadam expreſſione, conſiſtit, melior, eorum ſententia, non poſſit eſſe, tum id ſument, ut certum, quod in quaeſtione verſatur, tum id pronunciabunt, quod cum evidenti ratione pugnet. Finita enim infiniti imago numquam ita perfecta eſt, ut magis perfici nequeat.

Quae cum ita ſint, Mundum hunc, qui a Deo creatus eſt, omnium, qui creari potuiſſent, optimum ac praeſtantiſſimum eſſe dicendum, nullius unquam hominis mihi perſuadebit oratio. Neque enim quidquam illorum auctoritate moveor, qui contrariam opinionem magis pertinaciter, quam acute defendunt. Patres autem Eccleſiae Chriſtianae, qui pro Leibnitii ſententia poſſent afferri, aliud omnino volunt, quam quod adverſarii cogitant, ſi diligentius eorum verba perpendantur.

Auguſtinus quidem „ *haud vero, ait* (1), *uſque adeo deſipiendum eſt, ut homo videat melius aliquid fieri debuiſſe, et hoc Deum vidiſſe non putet, aut putet vidiſſe, et credat facere noluiſſe, aut voluiſſe quidem; ſed minime potuiſſe. Avertat hoc Deus a cordibus noſtris* „.

Chryſoſtomi ſunt illa (2) „ *Certe enim quod opti-*

(1) *Lib. I. con. Adverſ. L. et Pr. C. 14. ſimilia Lib. I. de Lib. Arb. c. 5.*
(2) *Hom. XXX. in I. ad cor. C. 12.*

optimum rectiſſimumque factu fuit, hoc illum voluiſſe, conſentaneum eſſe debet ,, .

Baſilius ,, *Unum hoc*, inquit (1), *habere in mentibus noſtris praeſumptum oportet, quod nihil eorum, quae nobis accidunt, malum ſit, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare queamus* ,, .

Similia ſunt illa Damaſceni (2) ,, *Si Dei voluntas providentia eſt, omnino neceſſe eſt, omnia, quae providentia fiunt, optime ſecundum rectam rationem, et Deo receptiſſimam fieri, ut non ſit melius fieri* ,, .

Plurima ex Athanaſio, Nazianzeno, Clemente Alexandrino, Cyrillo Alexandrino, atque aliis habes apud Ruizium (3), qui bene multis ante Leibnitium annis ea fere docuit, quae Leibnitii admiratores eidem Leibnitio, tamquam unico magiſtro, referunt accepta: ut hic etiam veriſſimum mihi videatur, quod vir doctus dictitabat, in elegantiſſimo Theodicaeae libro haud alios fere quam Scholaſticos D. Thomae, vel Scoti diſcipulos gallicae orationis quaſi veſte indutos, atque adeo perſonatos exhiberi; quod ita verum eſt, ſi ea demantur haud ſane pauca, quae Lutherum ſecutus, aut alios ex haereticis Scholae contra totius auctoritatem haud uno in loco proponit.

Sed illae Patrum auctoritates haud ſane aliud innuunt, niſi Deum neceſſario facere optimum ex

 parte

(1) *Hom. IX. Quod Deus non ſit auctor Malorum*.
(2) *L. II. de Fid. C. 29.*
(3) *De Volunt. Dei Diſp. IX. Sec. 4.*

parte facientis. Aliud enim eſt aliquid ex parte facientis, aliud ex parte operis facti optimum habendum eſſe. Illud tunc eſt, cum facientis actio ipſa, non modo reprehenſione caret, ſed etiam ea laude digna eſt, ut nihil eidem addi poſſit. Hoc autem eſt, cum opere ipſo, quod ex facientis actione prodit, nihil excellentius, aut melius poteſt exiſtere. Neque enim ſemper ea dignitas, quae in actione ipſa eſt, in ipſo etiam opere invenitur. Si Deus cuipiam praecipiat, ut agrorum cultui operam impendat, non alia poterit ab illo fieri actio laude dignior, aut melior. At agrorum ipſo cultu quam multa eſſe meliora poſſunt! Ut exemplo utar magis ad rem noſtram apto, Dei actione formicam producentis nihil melius, at formica ipſa meliora plurima ſunt in tota natura rerum. Jam vero Dei etiam non optimum mundum producentis actione ipſa nihil melius eſſe poſſe, facile omnes animadvertunt. Ut enim omittam, quod non eſt hujus loci proprium, ipſam Dei actionem, ut in Deo recipitur, ab ipſo Deo minime diſtingui oportere, illa profecto certiſſima ſunt; et finem ultimum, quo ſpectant univerſa Dei opera, infinitam eſſe ipſius Dei Bonitatem; et finem proximum, qui ſcilicet in certa quadam ipſius Bonitatis manifeſtatione, ac, ut vulgo dicunt, *participatione* poſitus eſt, ea voluntate, ea prudentia eligi, qua meliorem aut majorem fruſtra requiras; et eidem voluntati meliorem cauſam, aut

mo-

motivum (ſic enim philoſophi rationem appellant, propter quam aliquid quiſquam velit) quam illud, quo movetur, ſi tamen ipſa, quae omnia movet, moveri dicenda eſt, proponi non poſſe: ſiquidem non alia, niſi Bonitatis infinitae perfectiſſimus amor, hujuſmodi cauſa eſſe dicenda eſt; et ad hunc denique finem optima et exquiſitiſſima ordinari media, quibus Deus quidquid vult, ſub ea tamen ratione, qua vult, ſemper ac neceſſario aſſequatur.

Spectat etiam ad Patres explicandos alia conſideratio. Quamquam enim tota rerum univerſitas non eſt ea ratione perfectiſſima, ut perfectius aliquid producere Deus ipſe nequeat (abſurdam enim cum D. Thoma eam ſententiam puto: *Deus non poteſt meliora facere, quam quae fecit*) ea tamen ratione perfectiſſima eſt, qua finem ſpectat ab ipſo mundi totius architecto ipſi rerum naturae propoſitum. Ad eum nempe proximum finem, qui videlicet certa quaedam eſt divinae Bonitatis imitatio, ut ita dicam, atque communio, nullus in theſauris divinae Sapientiae aptior mundus aut melior inveniri potuiſſet. Sic, ut exemplo aliquo utar, quod rem hanc indoctis etiam hominibus declaret, Muſaeum, in quo nummi ſint Regum atque Imperatorum omnium aurei atque argentei quamplures, Muſaeo praeſtat, in quo nummus unus aureus, unus argenteus, caeteri autem ex ſingulis metallis ſinguli conflati ſint, quibus cudi moneta conſueverit. Sed Muſaeum hoc

hoc alteri praeſtat, ſi Muſaeum quiſpiam deſideret, in quo nummos ex omnibus metallis elaboratos reperire liceat. Id nimirum Patres univerſi volunt, qui pro Leibnitiana ſententia facere videntur. Quos cum legas, illud etiam tibi animadvertendum eſt, contra Ethnicos, aut malos Chriſtianos, ea proferri, qui multiplici ratione Divinam Providentiam accuſabant.

Haec omnia ſi teneas, quae curſim et obiter hoc in capite diſputavimus, omnia facile ſolves, quae pro Magiſtri ſui ſententia defendenda ſumit potius, quam probet, Chriſtianus Wolfius. Etenim ille in ſua Theologia Naturali, ut Actorum Lipſienſium verbis utar (1) „ *Deo vindicat voluntatem omnium perfectiſſimam, eamque liberrimam ab omni coactione externa, et interna.... Oſtendit vero Deum nihil velle abſque motivo et motivum voluntatis divinae eſſe repraeſentationem optimi, tum in ſe, tum in relatione ad ipſum ſpectati. Deum aeſtimare relationem rerum in relatione ad totum univerſum, ut in ſuo genere perfectiſſimum cenſeatur, quod facit ad majorem totius univerſi perfectionem. In relatione ad Deum nihil quidquam dici poſſe bonum, niſi quatenus ſummae Perfectionis ſignum ſit. Electionem mundi optimi eſſe ſignum naturale Spiritus perfectiſſimi, nec talem eſſe poſſe electionem mundi in ſe non optimi* „.

CAPUT

(1) *Ad annum* 1738.

CAPUT XVII.

De Libertate, quam ſumma Dei Perfectio neceſſario infert.

HAec omnis de optima rerum univerſitate diſputatio per ſe quodammodo ipſa poſtulat, ut de Libertate Dei dicamus aliquid, quam ſcilicet adverſarii non una ratione laedere videri poſſunt: quamvis ipſi de ſumma Dei Perfectione nihil ſeſe detrahere arbitrentur. Neceſſitatem enim in ipſo Deo neſcio quam, ut ipſi appellant, ***moralem*** inducunt, quae mihi quidem, quin et pleriſque Catholicis, in perfectiſſima natura nullum videtur habere locum. Sed ut ordine et via procedat oratio, tantiſper hos adverſarios relinquamus, neceſſe eſt, ut, antequam Libertas quae Deo ſit ſtatuamus, Libertatem ipſam eſſe Deo, contra nefarios Atheorum conatus aperte demonſtremus.

Profecto, ſi Deus eſt ſumme Perfectus, etiam ſumme Liber habendus eſt. Libertatem enim etiam in homine ad perfectionem ejus naturae pertinere, quis unquam homo non ſenſit? *Non bene pro toto Libertas venditur auro*, et alia ſimilia, tum apud Oratores tum apud Poetas aut Latinos aut Graecos de Libertate magnificentiſſimis verbis propoſita ad hanc etiam rem nullo fere negotio ſatis apte trahuntur. Itaque nemo Deo Libertatem non tribuit,

niſi

Digitized by Google

niſi forte cum Spinoſa ita deliraverit, ut ne voluntatem quidem veram atque propriam eſſe Deo diceret. Ait enim „ *Voluntas ad Dei naturam non magis pertinet, quam reliqua naturalia ; ſed ad ipſum eodem modo ſeſe habet, ut motus, et quies* „ et alio loco „ *Deus non magis dici poteſt ex libertate voluntatis agere, quam dici poteſt ex libertate motus, vel quietis agere* „.

Plurima omitto, quae hanc in rem ſatis per ſe claram et manifeſtam dici poſſe, mediocri etiam ingenio lector facile animadvertit. Nam illud quidem per ſe notum eſſe videtur „ *Nemo dat quod non habet* „ Libertas autem in creatis a Deo intelligentis eſt, ut aliqua ratione fere omnes fatentur, etiam qui verae Libertatis notionem cum Hobbeſio, cum Collinio, cum Fataliſtis evertunt; quamobrem omnes eſſe Deo Libertatem, quacumque demum ratione definienda ſit, iidem omnino concedant, neceſſe eſt. Etenim ne cogitatione quidem fingere poſſumus, in Deo, qui Libertatem creatis intelligentiis indiderit, aliquid eſſe hoc eodem effectu eminentius, niſi liberum ipſum Deum eſſe fateamur.

Quod ſi ad Libertatis veram propriamque rationem intelligentia, ſi proprietas ea, quam *ſpontaneitatem* vocant, neceſſario requiritur, ſi rerum ipſarum, quae libere ponantur, *contingentia* quaedam, ut ipſe fatetur Leibnitius (1) et divinae, ut mihi videtur, et humanae Libertatis

tis

(1) *Multis in locis, e. g. Theod. To.* II. §. 302.

tis everſor, quis eſt, qui Cauſae Primae, *cujus poteſtati*, ut recte loquitur Auguſtinus, *omnia aequaliter ſubjacent*, haec omnia contra quaevis Atheorum argumenta non afferat? Sin autem *indifferentia* etiam, quaecumque tandem ea ſit, ad verae Libertatis naturam pertinet, ut Catholici univerſi concedimus, quis eſt, qui hanc eamdem proprietatem in creatis intelligentiis agnoſcat, non autem in ipſo Deo? Etenim quaecumque ſunt, aut eſſe poſſunt, in illas aliquando maximam exercent vim, atque potentiam, non item in Deum, qui cum ſuis ipſe bonis felix omnino ſit, atque beatus, cum nulla re ſuam extra naturam conſtituta indigeat, a nulla certe re vehementer allici poteſt, aut ad aliquid agendum neceſſitate adigi. Neque vero ulla ratio eſt, quamobrem Potentia Dei rem unam producere poſſit, aut omittere, non item poſſit voluntas, quae non minus eſt ſui domina, non minus a compagibus aut vinculis cujuſvis generis expedita. Quocirca non eſt, cur ad plurima, quae vocant *contradictionis extrema*, non indifferens eſſe videatur.

Haec de ſumma Libertate Dei, quae poſtremo loco diſputavimus, ſi Samuelis Clarkii ſubtile ingenium attendiſſet, numquam ipſi Deo Libertatem eam dumtaxat, quae dicitur *a coactione*, conceſſiſſet (1), eam vero, quae dicitur *Indifferen-*

 tiae,

(1) Vide praeſertim Clarkii epiſtolas ad calcem I. Voluminis *de Exiſtentia Dei*, ubi inter caetera Libertatem Dei ſemper ita deſcribit, ut cum Po-

tiae, ne de facie quidem cognoſcere viſus eſſet.

Si quis autem argumentis movetur a Proteſtantibus quibusdam, aliiſque Philoſophis contra Libertatem *Indifferentiae* prolatis, non eſt quidem hic ſatis opportunus eum dedocendi locus. Ipſum tantummodo monebimus, ut a verborum laqueis hac in re praeſertim ſibi maxime caveat. Quidquid enim Proteſtantes etiam ingenio doctrinaque ſummi de Catholica doctrina libris etiam editis pronunciaverint, non alia demum nobis eſt Libertas *Indifferentiae*, niſi qua Voluntas „ *poſitis omnibus praerequiſitis ad agendum poteſt agere, vel non agere* „ Quam quidem notionem ſi, ut par eſt, animo combibas, et eam eſſe magnam, Deoque dignam perfectionem nullo negotio ſenties, et eam non eſſe cum inerti neſcio qua rerum a voluntate petendarum conſideratione, ac frigida quadam ſecuritate confundendam, ut Leibnitius ac Wolfius non uno in loco videntur confundere, animadvertes.

Non *Indifferentia propenſionis*, at *Indifferentia potentiae* Scholaſticis, aut potius Catholicis omnibus, auctoribus ad eam, quam tuemur, Libertatem

Potentia agendi quacumque confundat. E. g. *in reſponſ. ad I. epiſt. ſapientis e Cantabrigia* „ *Tout Etre paſſif*, ait, *eſt ſujet à la neceſſité, et il eſt libre entant, qu' agent. Car action et liberté ſont, à ce que je crois, des idées parfaitement identiques.... Le pouvoir phyſique d' agir qui eſt dans Dieu, et dans l' homme l' eſſence de la liberté, continue d' être exactement le même avant, et après le dernier jugement de l' entendement* „ et infra „ *Le principe de l' action eſt le pouvoir de ſe mouvoir ſoi-même, qui eſt la ſpontaneité dans tous les animaux, et dans ceux qui ſont douez de raiſon, ce que nous appellons la liberté* „ neque aliud unquam Clarkius ad veram Libertatis rationem, praeter hanc *Spontaneitatem*, ſeu *Libertatem a coactione*, requirit.

tem *Indiſſerentiae* neceſſario requiritur (1). *Indifferentia* vero *aequilibrii*, pro qua ſtare Scholaſtici Leibnitio videntur, aut in pleriſque nulla eſt, cum, ut alia quaedam omittam, ad majus bonum rite cognitum, magis quam ad minus, voluntas ipſa quodammodo ſponte vergat, aut ita explicanda eſt, ut non aliud ſit, quam ipſa indifferentia potentiae, in eo quidem ſita, ut *praerequiſitis omnibus ad agendum poſitis voluntas poſſit agere, vel non agere*; quamvis plerumque potius ad actionem, quam ad ejus omiſſionem, aut ad hanc potius quam ad illam ab ipſa natura, vel ab aliis, quaecumque tandem ea ſint, ei ſuperadditis, aut cauſis, aut occaſionibus, aut rationibus quibusdam nullo modo potentiam ipſam laedentibus, ferri videatur. At fuſius de his diſputandum relinquimus hominibus ingenio, doctrinaque abundantibus. Quae diximus, eo tantum ſpectant, ut liberrimam perfectiſſimae Naturae Voluntatem aſſeramus.

Quae vero contra Dei Libertatem inſanus auctor Mirabodius effudit, neque magis horrenda, ſi ſpectes impietatem, neque magis contemptu digna, ſi futilitatem ac levitatem argumentorum perpendas,

(1) Vid. *Franciſcus VVencesiaus Barkovichius in lib. cui tit. „ De Exiſtentia, Providentia, et aliis Attributis divinis „ de quo in Supplem. ad N. Ac. Lit. Tom.* III. *„ Progreditur ad Libertatem Dei, hominiſque ſtatuendam..... Qui vero indifferentiam aequilibrii ad Libertatem requirunt, eos confundere Indifferentiam ipſius potentiae agendi cum* Indifferentia *propenſionis: hanc parum rationi congruere, illam in hoc uno conſiſtere, quod, qui libere agit, is etiam poſſit non agere: rationes, quae Ens liberum ad agendum movent, non eſſe cauſas, ſed occaſiones actionum, neque impedire, quo minus actiones ſint liberrimae „.*

eſſe potuiſſent (1). Itaque non eſt, cur in iis confutandis immoremur.

Aliquid potius hoc loco dicendum eſſet in Spinoſam, qui Libertatem eſſe vel in ipſo Deo ſine Actuum *Contingentia*, quae dicitur, hanc autem ſine Divinae, quam Chriſtiani aſſerunt, *Immutabilitatis* interitu, praefracte negat. Nos fuſius iſta non perſequimur, ne Scholaſticae Theologiae fines non modo ingredi, ſed et excedere videamur. Hoc tantum affirmamus: cum evidens ratio doceat, Libertatem, quae maxima perfectio eſt, et quam Deo nulla ratio ſufficiens auferre poteſt, beatae illi, perfectaeque ineſſe naturae; cum naturam eamdem neceſſario exiſtere, neque aliam, quam ſit, eſſe poſſe, evidens item ratio ſuadeat; cum ſumma Dei Perfectio id ferat, ut in ipſo *accidentia* non ſint, neque proinde actus ab ipſa natura diſcreti; manifeſta conſecutione fluit, ut actus iidem aliqua ratione neceſſarii, aliqua item liberi, vel etiam *contingentes* dicendi ſint. Nempe prout a natura divina non ſeparantur, neceſſitatem; prout objecta quadam ratione attingunt, qua non attingere poſſent, Libertatem vel *Contingentiam* habent.

Sed jam de hoc ipſo interrogabis: quomodo ſcilicet iſta, quae pugnantia videntur, non modo in intelligentia noſtra, ſed etiam in ipſa re componantur. Spinoſam certe ipſum ineptis diſtinctiunculis, quae res in intelligentia tantummodo, non

(1) *Ut cum ait Syſt. de la Nat. T. II. „ qu' un Etre qui ne peut agir qu' en vertu des Loix de ſon exiſtence propre, n' eſt point un ètre libre, mais néceſſité dans toutes ſes actions „ et alia ſimilia p. 113.*

non autem in ſe ipſas exiſtentes exhibent, omnia conficientem, imitari videremur, niſi aliquid diceremus.

Franciſcus Suareſius Theologus ac Metaphyſicus valde ſubtilis, conſiderat in divina Eſſentia actum *realiter*, ut ait, ab ipſa indiſtinctum, infinitae perfectionis, non modo in generibus aliis, ſed et in hoc ipſo *volitionis*, *et intellectionis;* quae verba ſunt a Scholaſticis hac in re frequenter adhibita. Itaque vult non modo aequivalere, ſed et longe ſuperare virtutem infinitorum ejus generis actuum, qui creatis in mentibus eſſe potuiſſent. Putat ergo divinum illum actum aequivalere actui volendi, et actui non volendi mundum; et ita de reliquis: quare quidquid eſt bonitatis, aut perfectionis in hoc altero actu, prout etiam hic eſt ſingularis quidam actus, eſſe, et quidem multo magis perfecta ratione, in actu illo divino. Hic igitur actus ſufficeret ad appellationem Deo tribuendam nolentis mundum, quomodo ſufficit ad tribuendam appellationem volentis mundum. Quamobrem quin aliquid novi Deo adveniat, habere ipſum putat in Eſſentia ſua neceſſaria, unde quaslibet appellationes, quae dicuntur *contingentes*, accipiat. Eminentiam vero myſterii hujus in hoc maximam eſſe, quod Deus pro libito ſuo ex eodem actu poſſit unam potius quam aliam ex hujuſmodi *contingentibus* recipere appellationibus. Ita divina ex Libertate contingere, ut revera appelletur, ac vera quidem propriaque ratione, Volens Mundum, cum

ex

ex eodem actu Nolens Mundum appellari potuiſſet. Id qua ratione fiat, penitus inveſtigare non poſſumus „ *Quid ad me* (hic locum habent Auguſtini verba (1)) *ſi quis non intelligit? Gaudeat et ipſe dicens, quid eſt hoc? Gaudeat etiam ſic, et amet non inveniendo invenire, potius quam inveniendo non invenire te* „ Spinoſa tamen numquam oſtendet: Libertatem cum Neceſſitate, et *Immutabilitate* divinae Naturae componi non poſſe; cum ea revera componi, vel ipſa Dei Perfectio a nobis demonſtrata ſuadeat; quamvis homunculi qui ſumus, tantis ignorantiae tenebris circumfuſi, qua ratione ea componantur, non ſatis cognoſcere poſſimus.

Jam illuc, unde digreſſi ſumus, redeat oratio. Non deſunt Auctores, etiam Chriſtiani, qui Moralem, ut diximus, Neceſſitatem agendi optimum ex parte rerum ipſarum conjungi cum divina Libertate arbitrentur. Eam ſententiam praecipue Leibnitio adſcripſimus, ſed et Samueli Clarkio tribuere debemus (2), ut Wolfium omittamus in Magiſtri ſui Leibnitii verba jurare ſolitum. Videndus etiam ea de re Jeſuita Leibnitii defenſor in Prooemio ad ipſius Theodicaeae latinam interpretationem, qui plures etiam pro Leibnitio Jeſuitas Theologos affert, a quibus equidem tam diſſentio, quam qui maxime.

Neceſsitas enim iſta moralis, niſi ad ſenſus pro arbitrio confictos confugere velimus, non aliter explicatur,

(1) *Lib. I. Conf. Cap. 6.*
(2) Vide praeſertim ejus epiſtolas ad Virum doctum e Cantabrigia, de quibus diximus.

catur, quam per hoc, quod potentia libera ita inclinetur ad unam partem, ut non poſsit ſine difficultate, conatu, et excitatione omnium, aut pene omnium virium, ſe determinare ad oppoſitam, ſive contrariam. Hinc Auguſtinus moralem neceſsitatem venialiter, ut loquuntur, aliquando peccandi per ea verba deſcribit „ *Sed nonnulla ſuperanda, quae male cupiuntur, vel quae male metuuntur: magnis aliquando, et totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibituros eſſe praevidit, qui per Pſalmiſtam veridice dici voluit* „ *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens* „ Jam vero difficultas faciendi rem, quae per ſe id habet, ut fieri poſsit, repugnat Deo; cujus, ut idem Auguſtinus „ *poteſtati omnia aequaliter ſubjacent* „ Quis animo complecti facile poſsit, aut ſibi perſuadere, Deum, qui nulla re indiget, qui modum rebus ac formam pro ſua voluntate conſtituit, qui nemini quidquam debet, niſi quod ipſe debere pro ſua clementia dignatur, non ſine magna difficultate atque conatu, Mundum, qui paulo minus, quam hic noſter, perfectus habendus eſſet, condere potuiſſe? Mundum, inquam, in quo muſca una vel altera, ſeu formica, ne de homine quidquam loquar, deeſſet, quam quia voluit produxit, ſimulque cum aliis rebus innumerabilibus ad totius rerum univerſitatis perfectionem ac decus ordinavit?

Sed Leibnitium ipſum audiamus, Neceſſitatem

Mo-

Moralem, quam Deo tribuit, iis verbis deſcribentem (1) „ *Ad Voluntatis naturam*, inquit, *requiritur Libertas, quae conſiſtit in eo, ut actio voluntaria ſit ſpontanea ac deliberata, atque adeo, ut excludat Neceſſitatem, quae deliberationem tollit. Neceſſitas excluditur metaphyſica, cujus oppoſitum eſt impoſſibile, ſeu implicat contradictionem; ſed non moralis, cujus oppoſitum eſt inconveniens. Etſi enim Deus non poſſit errare in eligendo, adeoque eligat ſemper quod eſt maxime conveniens, hoc tamen ejus Libertati adeo non obſtat, ut eam potius maxime perfectam reddat. Obſtaret, ſi nonniſi unum foret Voluntatis objectum poſſibile, ſeu ſi una tantum poſſibilis rerum facies fuiſſet: quo caſu ceſſaret electio, nec ſapientia bonitaſque agentis laudari poſſet* „. Haec Leibnitius, quae non ſatis conſtanter dicta mihi videntur.

Etenim in perfectiſſima natura neceſſitas, cujus oppoſitum eſt inconveniens, vera neceſſitas eſt metaphyſica, niſi forte quibusdam ambiguis vocibus ludere velimus, et clariſſimis rebus tenebras offundere. Id ſi demonſtremus, nemo ſequi non dicet, ut nullus in Deo neceſſitati morali relinquatur locus.

Id autem ſic demonſtramus. Deum facere aliquid inconviens veram ac propriam, ut Leibnitii verbis utar, *contradictionem implicat*. Nam ſi *contra-*

(1) *In lib. cui tit.* „ *Cauſa Dei aſſerta per Juſtitiam ejus* „. Cum iis autem ea congruunt, quae VVolfius habet *Theolog. Natural. P*, II. *Cap.* 3.

tradictionem implicat, Deum non eſſe Deum, illud quoque implicat, eum, qui ſumme Perfectus eſt, inconveniens aliquid agere. Si enim id agat, jam non ſumme Sanctus, aut non ſumme Sapiens, atque hinc neque ſumme Perfectus haberi poteſt, aut dici. Quid hac ratione clarius, quid manifeſtius, per eum ipſum, de cujus infinita Perfectione diſputamus?

Itaque ſi Leibnitius ingenue loqui tandem aliquando velit, quidquid ex neceſſitate morali facere Deum affirmabat, ex neceſſitate metaphyſica facere concedet. Scilicet ex neceſſitate metaphyſica Deus, ſi ſtet Leibnitii doctrina, mundum hunc optimum condidit, ex neceſſitate metaphyſica permiſit, ut homo laberetur in culpam, ex neceſſitate metaphyſica non modo iſta majora, ſed et minima quaelibet in ipſa rerum univerſitate producit. Quae cum abſurda omnia per ſe videntur, et impia, tum illud oſtendunt, quod moliebamur: nullam in ipſius Dei perfectiſſimi, ac vere Optimi, vere Maximi, Naturam eſſe Neceſſitatem moralem inducendam.

Sed quibuſnam rationibus moralem eam Neceſſitatem Leibnitius propugnat? Iisdem fere, quibus totam *Optimiſmi* doctrinam. „ *Suprema*, inquit (1), *infinita Sapientia Bonitati non minus infini-*

(1) Verba ipſa Leibnitii ſunt (*Eſſais de Theodicée ec. To. I. p. m. 77.*) „ *Or cette ſuprême ſageſſe jointe à une bonté qui n' eſt pas moins infinie qu' elle, n' a pu manquer de choiſir le meilleur. Car comme un moindre mal eſt une eſpece de bien; de même un moindre bien eſt une eſpece de mal, s' il fait obſtacle à un bien plus grand: et il y auroit quelque choſe à corriger dans les actions de Dieu, s' il y avoit moyen de mieux faire........ donc il faut que Dieu ait choiſi le meilleur; puiſque il ne fait rien ſans agir ſuivant la ſuprême raiſon*„.

finitae adjuncta non poteſt non eligere optimum. *Nam ſicut minus malum eſt quoddam boni genus; ita minus bonum eſt ſpecies quaedam mali, ſi bono majori obicem ponat, eſſetque in Dei actionibus aliquid corrigendum, ſi melius agendi locus foret ..... neceſſe eſt igitur optimum (mundum) a Deo electum fuiſſe, cum nihil agat ipſe, niſi ſecundum normam ſupremae rationis* „ quibus verbis Leibnitius ad ſuum illud principium reſpicit „ *Nihil fit ſine ratione ſufficiente, cur fit potius, quam non fit* „.

Haec omnia, ſi quid probant, neceſſitatem metaphyſicam probant, ut patet ex dictis. Sed nihil revera probant. Eſſet in Dei actionibus aliquid corrigendum, ſi poſſet facere melius ex parte operantis, non vero ex hoc, quod poſſet facere melius ex parte operis. Sane quolibet opere creato, ſi de ſingulis loquamur operibus, aliud perfectius videtur a Deo poſse produci, nec tamen hinc in ſingulis Dei operibus aliquid eſt corrigendum.

Ad principium illud, ſeu pronunciatum „ *Nihil fit ſine ratione ſufficiente* „ verum id eſſe dico, ſi ſermo ſit de ratione ſufficiente, ut alliciat ad electionem; non item ſi de ratione, quae voluntatem omnino determinet. Multo minus id verum eſſe poteſt, de ratione, quae divinam determinet voluntatem; tum quia rueret ejus perfectiſſima libertas, tum quia nulla ratio bonitatis creatae, cum finita ſit, poteſt eam vim in eam habere voluntatem; cui, ut egregie Auguſtinus, *omnia aequaliter ſubjacent;*

jacent ; tum quia, ſi qua ratio bonitatis creatae vim hujuſmodi haberet, ea certe eſſet, in qua ratio optimi deprehenderetur; ſed optimum in ſerie creatarum quarumcumque rerum tam non invenitur, quam nihil eſt, quod divinam ita Perfectionem exprimat, ut ea non alia plurima, quae poſſint exprimi, complexa contineat. Haec enim infinita ſunt; creatae vero quaelibet res omnino finitae. Reliqua Leibnitii rationibus reſpondenda patent ex dictis.

Quamobrem iis, quae attulimus ex Leibnitio, ea omnino anteponenda ſunt, quae ſcripſit in hanc rem Petavius et Theologus, et Philoſophus optimae notae „ *Cur igitur*, inquit, *eo, quod videtur melius rejecto* (Deus) *quod inferius eſt eligat, ſi ita velit, ſola ratio poteſt eſſe voluntas facientis, ac libertas: cujus ea praeterea poteſtas eſt, ut eum in rebus ordinem ſtatuere queat, cui ſit illud, quod deterius videbatur, aptiſſimum* „.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De quibusdam aliis Attributis Dei cum infinita ejus Perfectione connexis agitur, ac multis recentiorum plurium Incredulorum argumentis reſpondetur.

SAtis, opinor, ea quae dicta ſunt hactenus oſtenderunt, quanti doctrinam de ſumma Dei Perfectione tenere ac defendere interſit, ut plurimos recentiorum errores de natura omnium optima convincamus. Quod autem contra *Manichaeiſmum* et *Optimiſmum* copioſa, fortaſſe magis quam neceſſe fuerat, ſed certe accurata oratione praeſtitimus, id et contra caeteras, quae noſtra invectae ſunt aetate, non minus inter ſe contrarias, quam alienas a recta ratione ſententias praeſtare, nobis nullo fere negotio licuiſſet. Sed et eruditi lectoris judicio tribuere aliquid, et eorum meminiſſe debemus, quae in libris de Generis Humani Conſenſu diſputavimus, ne, quod Voltaerio ſolemne eſt, alias a nobis conſcripta iterum proponere, atque hinc, ut eſt in vetere proverbio, *crambem recoquere* videamur.

Quis enim ex iis, quae diximus, modo ſumme Perfectus eſſe dicatur Deus, eumdem et materiae, et cujuſvis, ut vocant, *compoſitionis* expertem, et Æternum, et omnino Immenſum, et Immutabilem eſſe non videat? Neque vero cuiquam verendum eſt, ne quae nefarii quidam homines aut

ab-

Digitized by Google

abſurdi, vel, ut quibusdam Metaphyſicis magni nominis hac aetate parcam, decepti atque in errorem inducti, de Deo ſcripſerunt, tam bene conſtabilitam de Attributis iisdem doctrinam ulla ratione concutiant.

Quod pertinet ad *Spiritualitatem*, ſive *Immaterialitatem* Dei (nominibus enim iis proprietatem, qua Deus eſt Spiritus, atque natura ab omni materiae concretione libera, Philoſophi ac Theologi appellavere) Lockius ipſe non modo eam agnoſcit, ſed et iis argumentis demonſtrat, in quibus nihil profecto, niſi conſtantiam hominis ipſius plerumque deſideres. Ea enim argumenta, quod egregie probat vir omni doctrina eruditus Gerdilus, non modo Deum, ſed et hominis animum nihil habere natura ſua cum materia commune, probant.

Rationes autem a *Materialiſtis* (ita dicuntur hac aetate Philoſophi, quorum omnino ſimiles Tertullianus *Materiarios* appellavit) tanta verborum elegantia quandoque propoſitae, nihil minus efficiunt, quam, quidquid cogitat, Materiam vel haberi poſſe, vel dici. Id enim eae tantum efficiunt: Philoſophos, qui tam abſurdam opinionem propugnarunt, cum poſſe materiam cogitare dicerent, cogitationis ipſius expertes omnino videri. Neque vero ſententiae hujus auctorem aut Bergierium aliquem, aut Valſechium, aut Nogheram laudabo, aut alium, ex iis, qui contra nefarios Chriſtianae Religionis inimicos arma ſumpſerunt. Ruſſojus id, Ruſſojus, inquam, ipſe diſertis id verbis affir-

Digitized by Google

mat (1), quem certe praevaricari nemo ſomniaverit.

Quis ea non facile contemnat, quae contra divinum hoc Attributum Baylius in celeberrimo Simonidis Articulo diſputavit? Nam quaecumque proſundit, non aliud efficiunt, niſi claram atque diſtinctam Spiritus notionem nobis eſſe non poſſe. Quod quidem argumenti genus quam debile ſit et infirmum, ubi de divina *Incomprehenſibilitate* loquemur, declarabimus. Quis ea ſine ſtomacho legat, quae cum Deum eſſe diceret, ut eſſe tamen corporeum oſtenderet, Hobbeſius effudit (2)? Quis Bolingbrokium non rideat, qui, cum ignorare nos ait, an ulla ſit non corporea natura, tam turpiter ipſe ſibi contradicit, ac ſua in ſe ipſe arma convertit? (3) Nam Mirabodius quidem, ut humane cum eo videamur agere, Anticyras mittendus eſt, ut nos conſtare nobis aliquando diſcat, dum eſſe divinam ſine materiae commixtione naturam, et cogitare tamen, et velle, et agere, et mundum, qui corporeus eſt, movere pronunciamus (4): quibus haud minus abſurda ſcripſit Bulangerus, cum hoc Attributum Dei ſeſe profligare poſſe putavit, quod nihil hujuſmodi hominum ſenſibus percipiatur (5). Sim-

(1) *In lib. cui tit. Emile ec. „ Il me ſemble, que la Philoſophie, en voulant prouver que la materie penſe, a démontré que les Philoſophes ne penſent pas „.*

(2) *Vid. Leviathan p. 214. et 371. et alibi.* Contra eum optime ſcripſit Bramhallius (*Bramhall.*) *in op. cui tit. gall. verſ. „ Le Leviathan pris „.*

(3) *OEuvr.* Philoſ. *Vol. I. p. 242. „ Nous ignorons*, ait, *abſolument s' il y a des ſubſtances ſpirituelles différentes des corporelles „ at Vol.* II. *p.* 226. *„ Nous avons par le moyen des ſenſations des idées claires et diſtinctes de ce que nous appellons* Corps; *et par la réflexion nous acquérons des idées certaines de ce que nous nommons Eſprit „.*

(4) *Habet ea Syſtem. de la Nature To.* II. *p.* 60. *et* 61.

(5) *Chriſtian. Devoilé Chap.* VII. *p.* 87. *„ Eſt-ce connoitre la Divinité, que de dire, que c' eſt un eſprit, un etre immatériel, qui ne reſſemble a' rien de ce, que les ſens nous font connoitre? „*

Simplicitatem Dei quibusdam argumentis petivit Vorſtius, quae partim ſcholae veteris de *formis* et *accidentibus* doctrinam commendant, vix hac aetate noſtra memorandam, partim inter *potentiam*, *actumque* divinum eam diſtinctionem inducunt, quae, ſi Deus eſt infinita Perfectio, ſi Potentia ejusdem tam abſoluta creditur, ut melius aliquid nequeat animo fingi, nulla revera eſſe dicenda eſt. Satis autem apte ſolvuntur, ſi tum ea, quae contra Spinoſam de divinorum Actuum Libertate diximus, tum ea, quae poſtea dicemus de incomprehenſa Dei natura, teneantur.

Et ea quidem vel maxime memoranda videntur, ubi de divina Æternitate ſermo inſtituatur, de qua multa ſane arroganter diſputat idem Vorſtius. Ille profecto Gregorii verba perpendere debuiſſet „ *Cum homo in tenebris poſitus internum lumen, ſicut eſt, neſciat, de Æternitate diſſerere cupiens, coecus de luce loquitur* (1) „ Sed ea non attendens Vorſtius plura confidentiſſime jactat. Sumit enim falſum eſſe, quod a Theologis dicitur „ *Totam Æternitatem coëxiſtere omnibus temporum differentiis, ſeu partibus* „. Hinc enim, ait, primo ſequeretur, omnes partes temporis, ideſt praeteritum, praeſens, et futurum, ſimul exiſtere: deinde Deum poſſe efficere, ut praeteritum non ſit vere praeteritum, et futurum vere futurum; quia ſcilicet utrumque in Æternitate praeſens eſt: denique primum annum mundi conditi hunc ipſum eſſe annum, quo ſcribimus:

(1) *Gregor. Lib.* XXVII. *Moral. Cap.* 25.

mus : poſtremo res in Æternitate numquam oriri, aut interire; quia nimirum ſemper eidem Æternitati adſunt.

A temeritate Vorſtii plurimum Scotiſtae omnes abhorruerunt, qui cum Æternitatem Divinam agnoſcerent; eamdem ex *ſucceſſivis*, ut ajebant, *inſtantibus*, aut partibus conflatam eſſe voluerunt. Id homines non minus pietate quam acumine conſpicui ita defendebant, ut nihil in Deo, quod non eſſet ſummae Perfectionis, admitterent.

Eos imitati non ſunt Sociniani, qui ſcilicet eadem de ipſa Æternitate, ſed ex alia ratione ſenſerunt; quod nempe nollent aliquid in Deo agnoſcere, quod mentium ſuarum captum excederet: itaque myſteria omnia quae dicimus a divina Natura ablegarunt. Socinianis adſtipulantur Hollmannus, Dippelius, quin etiam ex parte non levi Joannes Clericus, qui *ſucceſſionem uniformem inſtantium, et momentorum* in divinam Naturam inducit; verum ſi ex eo ſciſcitaris, an *Inſtantia divina* ejusdem ſint rationis, ac noſtra, omnino negat. Homo acutus non videt, dum myſterium agnoſcere non vult, quod plurimi ſapientes agnoſcunt, aliud cudere ſe myſterium ad ſua tempora fere inauditum. Quid enim *Inſtantia* ſunt *ſibi ſuccedentia* a noſtris omnino diverſa?

Omnium igitur graviſſime Thomiſtae, quibus plerique Theologi ex aliis ſcholis adhaerent, cenſent Æternitatem Dei durationem eſſe ſimplicem, *eſ-*

ſen-

Digitized by Google

ſentialiter , ut ii loquuntur , excludentem tum praeteriti tum futuri rationem . Iis praciverant , praeter Auguſtinum, Boëtium, Bernardum, Anſelmum, Richardum a S. Victore (1) , Platonici plures.

Hujus autem ſententiae auctores ita loqui amant, ut dicant, *Nunc temporis*, cujus naturam Ariſtoteles egregie definivit *Interitus*, *eſſe Nunc currens* : quod ſi parum latine, certe ſatis acute , et ad rem obſcuriſſimam explicandam ſatis appoſite dicitur. Sane, ut Ovidii verbis utar,

„ *Neque enim conſiſtere flumen*,
„ *Nec levis hora poteſt, ſed ut unda impellitur unda*,
„ *Urgeturque eadem veniens*, *urgetque priorem*,
„ *Tempora ſic fugiunt pariter* , *pariterque ſequuntur*,
„ *Et nova ſunt ſemper*.

Contra vero *Nunc Æternitatis* dicunt eſſe *Nunc permanens ;* quod neque ex multis *Inſtantibus* componatur, neque *Succeſſionem* admittat; ſed ipſum infinitis ex noſtris momentis, imo ſaeculis aequivaleat , vel illa potius longiſſime excedat , nec non eminentiſſima quadam ratione contineat „ *quaſi omnium durationum temporalium ſimul centrum et circumferentia* „ ut ait Bonaventuras (2).

 Hanc

(1) *E. g.* Auguſt. *in* Pſ. II. „ *In Æternitate nec praeteritum quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit* „ *Hinc* L*ib.* I. *Conſ. C.* 7. „ *Anni tui (o Deus) hodiernus dies*. „ Bernardus *Serm.* LXXX. *in Cantica* „ *Tempora ſub ea (Æternitate) tranſeunt, non ei: futura non expectat, praeterita non recordatur, praeſentia non experitur* „ Similia Boëtius *Lib. V. de Conſolat. Proſ.* 6. Anſelm. *Menol.* XXIV. Richard. a S. Victore *L.* II. *de Trinit. C.* 4.

(2) Itiner. *Ment. C. V.*

Hanc ſententiam praeter alia id mihi probat, quod ex demonſtrata ſupremi Numinis infinita Perfectione ſequatur, nullam in eo *accidentium*, de quibus diximus, compoſitionem, ac veluti permixtionem eſſe admittendam. Æternitas igitur Dei, ſeu Duratio ipſius aeterna, non eſt *accidens*, verum ipſa Dei *ſubſtantia*. At haec dividi non poteſt, ac tota ſimul exiſtit, neque ullae ſunt in ea partes ſeſe invicem excipientes, alioquin eſſet mutabilis, et corruptioni obnoxia: ergo etiam Æternitas eſt individua, et tota ſimul, in qua nullae ſunt partes ſibi invicem ſuccedentes: ergo tota ſimul omnibus temporibus, quamvis inter ſe diſſitis, adeſſe dicenda eſt; ſeu Æternitas, ut Boëtii verbis utar a D. Thoma egregie declaratis, eſt „ *interminabilis vitae tota ſimul et perfecta poſſeſſio* „.

Jam vero, quae contra ſententiam hanc Thomiſtarum afferuntur, non aliud, niſi humanae intelligentiae imbecillitatem oſtendunt; quidquid Gaſſendus ac Tillotſonius opinati fuerint (1): quorum dicta probare videtur Clarkius (2). Non enim poſſumus animo complecti Æternitatem, quae,

(1) Gaſſendus Phyſ. *L.* I. ait auctores noſtrae ſententiae „ *Crucem ingenio figere, ut rem capiat fugientem captum..... Tam fieri non poteſt, ut inſtans (temporis) coëxiſtat rei ſucceſſivae, quam impoſſibile eſt, punctum coëxiſtere (coëxtendi) lineae...... Uſus merus non intellectorum verborum* „ Tillots. *Vol.* VI. *Serm. 6.* ſententiam eam convellit. *Vol.* VII. *Serm.* 13. „ *J' aimerois*, inquit, *autant concevoir l' immenſité de Dieu comme un point, que de m' imaginer ſon éternité, comme un inſtant.....* Conçoive qui pourra, *comment des choſes, qu' on doit neceſſairement ſuppoſer coëxiſtantes à d' autres, qui ſe ſuccedent, peuvent exiſter ſans ſucceſſion* „.

(2) *V. To. I, de l' Ex. c. 6.*

quae, cum individua ipſa ſit, diviſis tamen adſit temporibus, totaque ſimul ac ſemper exiſtat, quamvis non modo finitis, verum et infinitis aetatibus aequivaleat. At cum hujuſmodi eſſe Dei Æternitatem, ſupremae ipſius Perfectionis veriſſima omnium, quae a nobis haberi poſſint, notio declaret, nulli dubitare debemus, quin eadem Deo tribuenda ſit. Mox enim probabimus, quod aliquid diſtincta non poſſit a noſtris mentibus idea comprehendi, probabilem non eſſe rationem, quamobrem non illud ineſſe Deo, ſi caetera dignum eſt Deo, dicere debeamus.

Caeterum ne illud quidem Clarkius unquam animo complectetur, quod magiſter ſuus Nevvtonus de divina Æternitate ſcripſit (1) „ *Deus aeternus eſt, infinitus, omnipotens, omniſcius.... non eſt aeternitas, et infinitas, non eſt duratio, vel ſpatium, ſed durat, et adeſt ubique, et exiſtendo ſemper, et ubique durationem, et ſpatium, aeternitatem, et infinitatem conſtituit* „ Quid proprie ſignificent ea verba, quis unquam divinatus eſt? Quid eſt, quod Deus non ſit Æternitas, verum Æternitatem durando conſtituat? Tam deſipere videtur hoc loco Nevvtonus, quam cum illa protulit a Leibnitio non minus vere quam facete reprehenſa. „*Cum*, Leibnitius ait (2) *accepiſſem Nevvtonum mira quaedam de Deo dicere in Optices ſuae editione latina, quam hac-*

(1) *Lib.* III. *Princip. in Schol. Gener.*
(2) *In epiſtola* 219. *ad Bernoullium a.* 1715.

tenus nondum videram, inſpexi, et riſi, Spatium eſſe ſenſorium Dei: quaſi Deus, a quo cuncta procedunt, ſenſorio opus habeat; atque ita metaphyſica huic viro parum ſuccedunt „ Sed ea, quaecumque tandem ſit, Nevvtoni ſententia eo abjicienda eſt, quod Æternitatem ſupremi Numinis ab ejus natura diſtinctam invehens, hanc ab illa quodammodo perfici, atque hinc non infinite per ſe perfectam eſſe conſtituit.

Atheorum contra Divinam Æternitatem argumenta relinquimus, quod nimis abſurda, nimis inepta mediocri cuilibet ingenio videantur. Cujus generis etiam ea ratio eſt, quam Sextus Empiricus ita propoſuit „ *Quod aeternum eſt, caret principio; quod caret principio, eſt infinitum; quod eſt infinitum, nuſquam eſt; quod nuſquam eſt, omnino non eſt: ergo quod aeternum eſt, omnino non eſt* „ Imo vero quod infinitum eſt, in omni loco eſt, ideoque immenſum eſt. Rem creatam eſſe infinitam eamdem, aeternamque nego. De Deo ſi negem id ipſum, non modo impius ſim, ſed etiam inſaniam. Quis enim illum produxit, ſi aeternus non eſt, atque hinc aliquando non fuit? aut quomodo repente mundus extitit, niſi Deus aliquis ab aeterno fuit? Pyrrhonis in morem ille cum Sexto Empirico deliret, oportet, qui tam aperta non videat.

Aliqua jam de Immenſitate Dei dicamus, contra quam ita Mirabodius ſcripſit (1), ut ipſam

(1) *Syſt. de la Nat. Tom.* II. *p.* 61. ubi abſurdam dicit hanc ſententiam eſſe

ſam Chriſtianorum adoleſcentium doctrinam ignorare videretur. Etenim et ipſi plerumque noverunt, Naturam, quae corporea non ſit, haud implere Spatium, neque a Materia, quominus in aliqua Spatii parte inveniatur, excludi. Illa contra Mirabodium ſufficerent, quae Joachimus Oporinus ſcribit (1) „ *Docta ſimplicitas*, ait, *difficultatem qualemcumque Omnipraeſentiae Dei oppoſitam longiſſime abeſſe a contradictione vel inde probat, quod anima humana, quae eſt Deitatis ſpeculum, in extenſo praeſens vere ſit* „ Iis autem, quae Baylianus ille Simonides contra Immenſitatem Dei, rationibus Poëta magis, quam Philoſopho dignis, adduxit, eadem, quae saepius a nobis indicatur, ab incomprehenſa Dei natura petita reſponſio adhibenda eſt.

Caeterum Immenſitas eadem ſupremi Numinis multis profecto rationibus oſtendi poſſet, quarum aliquas, ut modo diximus, in Primo de Generis Humani Conſenſu protulimus. Nevvtonus quidem illa praeclare „ *Omnipraeſens eſt non per virtutem ſolam, ſed etiam per ſubſtantiam: nam virtus ſine ſubſtantia ſubſiſtere non poteſt* (2) „. Haec acute dicta non minus laudanda nobis videntur, quam alia, quae nuper attigimus, ejusdem auctoris inconſiderate ſcripta vituperanda ſint. Sane

eſſe „ *Un etre immenſe peut remplir l'eſpace ſans en exclure pourtant la Nature* „ et alia ſimilia.

(1) In *Commentatione Theologica de Uſu doctae ſimplicitatis contra Scepticos*.

(2) *Lib. III. Princ. Mathem.*

Sane Deus ſi alicubi eſt; ergo in omni loco; ſi autem in omni loco, non illuc certe, poſtquam corpora, eorumque extenſiones, ex quibus creata conficiuntur ſpatia, eſſent, advenit. Nequit enim ea natura moveri, quae, cum ſumme perfecta ſit, nihil poteſt acquirere. Ergo „ *ubi erat Deus, antequam mundus fieret, ibi eſt* „ ut ait Bernardus. Non autem in una potius, quam imaginari velimus, atque in alia parte ſpatii in infinitum diffuſi; tum quia, cum Deus, ut diximus, moveri nequeat, ab alia ſpatii parte excluderetur; tum quia, cum cauſa quaedam, ſi tamen cauſa dicenda eſt, quamobrem Deus, ubi eſt, exiſtat, ſit ejus naturae abſoluta neceſſitas, haec vel ferre debuit, ut omnino ſit ubique, aut nullo in loco. Quod enim eſſet in loco definito potius hoc quam illo, res optata citius, quam a natura poſtulata videretur, et ex liberae alicujus voluntatis decreto proveniret.

Sunt qui Dei Immenſitatem ſeſe demonſtraturos eſſe confidant, ſi ſpatium ipſum vacuum, immenſum, et aeternum nihil revera eſſe, niſi divinam eamdem Immenſitatem, apta ratione concludant. Totus in hoc eſt Henricus Morus, cujus etiam illa ſunt reprehenſione digniſſima (1) „ *Neque enim reale dumtaxat; ſed divinum quoddam videbitur hoc extenſum, infinitum, immobile, quod tam certo in natura deprehenditur.... non pauciores quam 20. tituli ſunt, quibus inſigniri*

(1) *In Enchirid. Metaph.*

ſigniri ſolet divinum Numen , qui infinito huic loco aptiſſime conſentiunt ...... eſſe hanc rudem quamdam hypographim, ſeu delineationem Eſſentiae divinae, cui tantum operationes vitales addendae remaneant „ Illam etiam de divina Immenſitate ſecuti ſunt ſententiam Samuel Clarkius, Joſeph Raphſonus , Iſaacus Newtonus , quin et Leonardus Leſſius , ut apud Muſchembroekium (1) videre eſt . Eamdem vero prae caeteris Muſchembroekius ipſe refellit, nec non Antonius Genuenſis (2), qui et ipſam aliquando audentiſſimam dixit. Nos quidem ſatis implexam de natura Spatii quaeſtionem Phyſicis, aut etiam Metaphyſicis hoc loco ſolvendam relinquimus; ne forte nimis a propoſito ſibi fine aberrare videatur oratio. Non poſſumus tamen, quin ſignificemus, ea maxime probari nobis , quae contra Clarkium ſcripſit Thummigius . Etenim , ut de illo Acta Lipſienſia „ *Spatium non poſſe eſſe Attributum Dei monſtrat* (3) *, quia Deus eſt Ens ſimplex, ſpatium vero, utpote ex partibus conſtans, compoſitum. Partium enim praeſentia, non earumdem diviſibilitas, et mobilitas compoſitionem efficit. Caeterum quoniam partes in ſpatio nonniſi numero differunt, erit id ens compoſitum ſimilare ; adeoque vi principii indiſcernibilium imaginarium , et intellectui incomprehenſibile . Oſtendit deinde nae-*

(1) *In Elem. Phyſ. C.* III. *in Adnotat.*
(2) *In. Elem. Metaph. Tom.* III. *c.* 2.
(3) *Vid. Reſponſionem Ludovici Philippi Thummigii ad quintum ſcriptum Clarkianum.*

naevos in praetenſa demonſtratione de Spatio, attributo divino, notans inter alia a Clarkio confundi infinitum imaginarium, quod nonniſi modus loquendi eſt, notante Leibnitio alicubi in his actis, cum reali a Wolfio in Meditationibus Metaphyſicis primum definito. Eleganter autem docet, quomodo Spatium imaginarium ut infinitum ſeu illimitatum concipiatur, quia in abſtracto conſideratum deſtituitur principio individuationis, unde limites reſultant, perinde ac materia in abſtracto limitibus deſtituitur. Mittimus abſurda, quae ex Spatio Attributo Dei deducuntur (1) „

Ut quid Immenſitas Divina ſit, quantùm fieri poteſt, clare percipiamus, multum prodeſſe putant nonnulli quaeſtionem, quam Theologi agitare ſolent, videlicet an ſit Deus in ſpatiis, quae vocant *imaginaria*. Quare aliquid de illa ſubdere, non viſum eſt nobis a noſtro inſtituto alienum. Itaque, ut Scholaſticorum more, quid hac de re caeteri ſenſerint, initio aperiamus, non eſſe Deum in Spatiis *imaginariis*, docet Vaſquefius, qui pro ſua ſententia citat Bonaventuram, Scotum, Albertum Magnum, alioſque plurimos, quibus ex recentioribus Tournelyus accedit (2). Affirmat autem in Spatiis *imaginariis* eſſe Deum, poſt Cardinalem Cajetanum, et Molinam cum Leſſio, Suareſius. Eamdem amplectitur opinionem Wol-

(1) Legendus hac de re Scriptor praeſtantiſſimus Moniglia (*Diſſert. contro i Materialiſti ec.*)

(2) Vaſq. *I. P. diſtinct.* 29. Tourn. *de Deo Q.* VII. *art.* 3.

Wolphius (1), apud quem, ut ipſe gloriatur „ *invenies praeſentiam Dei in ſpatiis imaginariis diſtincte explicatam* „ Sed qui, ſepoſitis partium ſtudiis, ea Wolphii legunt, neque ſatis explicatam, neque apte definitam, totam eam controverſiam fuiſſe, facile conqueruntur.

Utilius profecto Suareſium hac quidem in controverſia conſules, qui haec habet inter alia captu facillima „ *Haec ſententia* (quod ſit Deus in iis ſpatiis) *vera eſt, quo ad id, quod intendit. Opinor tamen differentiam harum opinionum inter Auctores Catholicos eſſe poſſe in uſu terminorum. Quapropter, ut tollatur aequivocatio advertendum eſt, cum dicitur, res eſſe alicubi, vel in aliquo loco, duo poſſe in ea locutione includi: unum eſt intrinſeca praeſentia, quam res ibi habet, aliud eſt habitudo ad rem aliam, quam contingit. Haec duo neceſſaria ſunt in corporibus, quae circumdantur corpore continente. Nam et dicitur locatum eſſe in circumſcribente, et medio contactu quantitativo, et praeterea habet in ſe ſuam praeſentiam intrinſecam, eademque maneret, etiamſi corpora circumſcribentia moveantur, aut fluant, etiamſi per divinam omnipotentiam omnia alia perirent. Quando ergo dicitur Deus eſſe extra Mundum in Spatiis imaginariis, ſi intelligatur ibi eſſe quaſi cum habitudine ad aliquid aliud, quod contingat, eſt plane falſum, et impoſſibile, et hoc con-*

A a vin-

(1) *Suar. diſp.* XXX. *Met. S.* 7. *Wolph. Theol. N.* P. I. c. 7. §. 1503.

vincunt rationes primae ſententiae. Si vero intelligatur Deus eſſe extra mundum ſolum per realem incircumſcriptam praeſentiam ſuam in ſemetipſo, ſine habitudine actuali ad aliquam rem extra ipſum, ſic negari non poteſt, Deum eſſe extra mundum. Id enim eſt doctrina fidei, quam ex naturali ratione convincit ſecunda ſententia „.

Prima ratio ſcilicet ex infinita Dei Perfectione ducitur. Melius enim videtur exiſtere, quam non exiſtere in ſpatiis, de quibus loquimur. Altera ex eo quod Deus aliquo eſt in loco: ergo ubique; cum non ſit potior ulla ratio, quamobrem hic citius quam illic exiſtat. Praeterea ſi Deus hoc in Mundo praeſens eſt tantum, ubi, ſi Mundus non exiſteret, inveniretur? Ibi certe nunc etiam eſt, ut ſatis per ſe conſtat. Demum, ſi Deus alium extra mundum hunc longe poſitum crearet orbem, nonne in intervallo Deus idem exiſteret? Quis igitur non videt, etiam nunc in eodem intervallo, atque hinc in infinitis etiam ſpatiis *imaginariis*, ipſum exiſtere? Iſta ſi teneas, Tournelii rationes, pro contraria ſententia ſtudioſe conquiſitas, nullo negotio ſolves.

Recte igitur illa Prudentius:

„ *Et Deus ingens*
„ *Atque ſuperfuſus trans omnia nil habet in ſe*
„ *Extremum, ut claudi valeat, ſenſuque teneri.*
„ *Incomprenſa manet virtus, cui linea deſit*
„ *Ultima, quam ſpatium non menſurabile tendit.*

Con-

Conſentiunt Prudentio caeteri Eccleſiae Chriſtianae PP. apud Petavium (1), cujus ea verba „ *de infinito illo inanique ſpatio Sanctos Patres veteres fere tacuiſſe* „ alienum ad ſenſum detorſiſſe mihi videtur doctiſſimus Meniglia contra Fataliſtas ſcribens; quem equidem virum ſemper honoris cauſa nomino. Sed certe non aliud vult ipſe Petavius, niſi Patres de illo ſpatio non meminiſſe ſub ſcholaſticis illis vocibus, quibus nos utimur, *Spatii imaginarii*. Rem autem ipſam a Patribus iisdem fuiſſe traditam, oſtendit ipſe Petavius (2), praeſertim ubi relata philoſophorum ſententia, quae Deum extra rerum hanc univerſitatem eſſe ſtatuit „ *Si hoc*, inquit, *adjeceris, etiam in Mundo ipſo eum exiſtere, ac ſua ſubſtantia totum occupare, ſicut in immenſum ſine ulla tamen exporrectione tam intra, quam extra mundum diffuſus ſit, verum conficies, et Chriſtiana dignum Theologia dogma* „ Idem Petavius Capiti IX. Libri Tertii hunc praefigit titulum „ *Quod Deus intra, et extra omnia ſit ec.* „ addit infra „ *Duo ſunt veterum uſu contriti divinae Immenſitatis declarandae modi: nam aut aſſerunt, ſic intra omnia eſſe Deum, et implere omnia, ut etiam extra omnia ſit, aut non contineri locis omnibus, ac ſubſtantiis, ſed ea continere amplectique omnia* „.

(1) *To. I. Theolog. Dogm. L.* 3.
(2) *V. C.* VIII. *et X.*

CAPUT XIX.

Deum infinite Perfectum ab humanis mentibus comprehendi non poſſe oſtenditur, quibusdam veterum Haereticorum erroribus confutatis.

QUi Deum infinita naturae perfectione praeditum eſſe viderit, idem et Attributum, quod *Incomprehenſibilitas* a Scholaſticis appellatur, eſſe Dei vel maxime proprium facile percipiet. Cujus rei argumento eſt, quod eam veritatem Ethnici omnes philoſophiae gloria praeſtantes aſſecuti ſunt, graviſſimiſque verbis propoſuerunt.

Hinc illa Platonis in Timaeo, ut in vulgata interpretatione legimus „ *Illum igitur effectorem et parentem univerſitatis iſtius invenire difficile eſt, et cum inveneris indicare in vulgus impoſſibile* „ quem locum Cicero magis, opinor, latine vertit „ *indicare in vulgus nefas* (1) „.

Hinc illa Xenophontis de Deo, quae laudantur a Patribus „ *Hic maxima quidem agens cernitur: hoc autem adminiſtrans, a nobis conſpici non poteſt. Animadverte vero, quemadmodum Sol ille, qui manifeſtus eſſe omnibus videtur, neutiquam accurate ſe videri ab hominibus permittit. Sed ſi quis impudenter illum contueri velit, huic viſum eripit* (2) „.

Verum

(1) „ Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν, καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν „.

(2) *Lib.* IV. *de Dictis Memorabilibus Socratis* „ Οὗτος τὰ μέγιστα μὲν πράττων ὁρᾶται. τάδε δὲ οἰκονομῶν ἀόρατος ἡμῖν ἐστι. ἐννόει δὲ καὶ ὁ πᾶσι φανερὸς δοκῶν εἶναι ἥλιος οὐκ ἐπιτρέπει τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτὸν ἀκριβῶς ὁρᾶν, ἀλλ' ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρῇ θεᾶσθαι τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται „.

Verum, ut ingenue fatear, vehementer hoc loco animi pendeo. Quis enim facile ſtatuerit, utrum nobiliſſimi quique Philoſophi exemplo ſuo magis, an auctoritate confirment, quod volumus? Quis, inquam, neſcit, quam abſurdas illi de Natura divina ſententias amplexi fuerint, et, cum omnia illi ſumma tribuenda eſſe cenſerent, quam parum, ſi de illa quidpiam explicandum foret, ſibi conſtare viderentur?

Hac de re ſi quis forte dubitet, elegantiſſimos verſet Ciceronis libros de Natura Deorum. Videbit profecto, nihil tam abſurdum, aut etiam ridiculum excogitari poſſe, quod praeſtans aliquis e Graecia Philoſophus de nobiliſſima Natura non ſenſerit.

Quamobrem jure ſanctiſſimi Eccleſiae Chriſtianae Doctores ac Patres Ethnicis Philoſophorum ſuorum, nedum Poëtarum, objecere portenta illa doctrinarum, atque flagitia. Juſtinus quidem, ut pleraque, ſic etiam illa praeclare. „ *Ad hos Philoſophos tamquam ad murum communitum confugere ſoletis, ſi quis vobis Poëtarum de Diis objiciat opiniones. Quamobrem cum a veteribus, et primis ordiri conveniat, inde incipiam, et cujuſque opinionem multo ſane Poëtarum Theologia magis ridiculam exponam* (1) „ Tum, quod promiſit, ita conficit, ut, qui mentis humanae imbecillitatem ex ea oratione non ſatis intelligat, nihil intellecturus eſſe videatur.

Mihi

(1) *Paraen. ad Graecos.*

Digitized by Google

Mihi quidem, cum illa legerem, veriſſima viſa eſt nobiliſſimi cujusdam Platonici apud Baconum (1) ſententia „. *Senſus humanos ſolem referre, qui quidem revelat terreſtrem globum, coeleſtem vero, et ſtellas obſignat* „ Senſuum autem humanorum nomine rationem ipſam intelligit. Ecce enim iſti et acutiſſimo ingenio, et exquiſita doctrina Philoſophi, cum plurima, quae pertinent aut ad naturam rerum, aut ad diſſerendi, aut ad vivendi rationem ſubtiliter atque copioſe declararent, tam parum in nobiliſſimae veritatis cognitione, ſcientiaque profecerunt, ut ne cum pueris quidem, aut mulieribus Chriſtiana doctrina imbutis comparandi eſſe videantur.

Quis jam exemplo tot, atque tantorum virorum admonitus non facile ſentiat, quae ſit in divinis rebus percipiendis humanae mentis infirmitas? Nimirum in his rebus, quod acute notavit Ariſtoteles, iis animantibus omnino ſimiles eſſe videmur, quos clariſſima Solis lux ita laedit, ac turbat, ut ſeſe in ſuas latebras abdere compellantur.

Sed jam iſta more noſtro acutius pertractemus, atque diſtinctius. Quid enim prorſus animo comprehendere, aut complecti dicimur? Nempe illud, quod ita videmus animo, ut nihil nos lateat ad naturam ejus quoquomodo pertinens; et ea quidem cognitionis claritate videmus (id enim aliqui addendum putant) qua nulla poſſit

major

(1) *De Augmentis Scientiarum Lib. I. p. 5.*

major excogitari. Quis jam non facile illud aſſequitur, non poſſe homines Dei Naturam tam ſublimi, atque perſpicua ratione cognoſcere?

Ac primo quidem multa nos ad Naturam divinam pertinentia neceſſario latent. Sunt enim in ea Natura, ut vidimus, omnia Bona, hoc eſt infinita Bona, ſimul collecta, ſi fas eſt ita loqui, et ab omni Malorum generis cujuſque contagione omnino ſegregata. Rogo jam. An aliquis homo eſt eo furore veſanus, ut infinita hujuſmodi Bona ſeſe poſſe dicat tam anguſta, atque tam debili mente complecti? Facilius Oceani totam immenſitatem intra nucis corticem contrahas, aut Coelorum amplitudinem in parva quavis capſula includas.

Sapienter enim Auguſtinus „ *Quapropter*, inquit, *ſi quidquid comprehenditur ſcientis comprehenſione finitur, profecto omnis infinitas quodam ineffabili modo finita eſt: quia ſcientiae ipſius comprehenſibilis ratio eſt* „ (1) Cum igitur, quod omni ex parte infinitum eſt, ullo modo finitum eſſe non poſſit, a mente, cujus vires omnino finitae ſint, comprehendi nequit.

Deinde quis dicat, poſſe hominem infinita Naturae divinae Bona mente complecti, quando ne unum quidem hujuſmodi Bonum ſatis diſtincta notione percipit? Si quid enim cogites bonum, fines illico neſcio qui obverſantur animo, quos numquam ita removeas, ut ipſa Boni ſine ullo

(1) *Lib.* X XII. *de Civit. Cap.* 10.

ullo fine, ideſt ſine Malo, natura omnino tibi perſpecta ſit?

Qua quidem in re Aëtii, et Eunomii ſtultiſſimorum hominum capitalis error apparet; quorum alter ita delirat, ut dicat (1) „ *Tam Deum novi, quam meipſum: immo non tam novi meipſum, quam Deum* „ alter ita furit, ut iſta jactet „ *Nihil de divinis rebus ignoro, et tam exacte, et clare Dei ſubſtantiam cognoſco, quam Deus ipſe ſeipſum* (2) „.

Perditi homines eo ſunt in inſaniam adacti, quod res omnino ſimplex ipſe ſit Deus. Res autem ſimplices partibus carent. At, quod partibus caret, non poteſt ex una parte cognoſci, ex altera latere. Cognoſcimus autem Deum. Totum ergo cognoſcimus; quamobrem et comprehendimus. Nihil enim ad Naturam ejus pertinens intelligentiae noſtrae notionem effugit.

O ſeri ſtudiorum! quamquam et ſeverioribus verbis eſſetis compellandi: aliud enimvero eſt cognoſcere, aliud perfecte, pleneque cognoſcere. Totum cognoſcimus Deum; ſiquidem partibus caret; neque enim a Potentia ejus, aut Sapientia caeterae dotes ipſius revera diverſae ſunt, atque diſtinctae. Idem in eo Sapientia, idem Immenſitas, idem Bonitas, idem Juſtitia eſt. Quae cognitio igitur Sapientiam ejus, ut ita dicam, attingit, revera omnia ejus Attributa attingit. Sed non

(1) *Apud Epiphanium Haeres.* X.
(2) *Apud Theodoretum Lib.* IV. *Haeretic. Fabul.*

non omni ratione, aut modo attingit, qua Deus ipſe, cujus infinita Sapientia eſt.

Nam ſi ita Deum cognoſcis, ut aliquid de ipſo ſciſcitantibus reſpondere poſſis, infinitis vero quaeſtionibus ſatisfacere numquam poteris. Quid enim? Si perconter, qua ratione Deus, cum ſit Immenſus, non tamen ſpatia occupet, non partes aliquas Sui extra partes habeat, non ſecari poſſit, aut dividi, quid reſponſurus es? Si perconter, quomodo, cum ſit Æternus, non tamen ejus Vita menſium, aut dierum numero diſtinguatur; quomodo, cum ſit Sapientiſſimus, nihil tamen unquam didicerit, aut diſcere ab alio queat; cum ſit Potentiſſimus, omnia ſuae voluntatis numine, quin aut miniſtros, aut inſtrumenta quaevis adhibeat, ſtatim efficiat; ſi de ſimilibus aliis interrogavero, quid tandem afferes, Aëti, aut Eunomi, tanto ſupercilio dignum? Nimirum aliud eſt cognoſcere, aliud perfecte, pleneque cognoſcere.

Caeterum et illud, quod omnia cognoſcamus Attributa Dei, tum omnia, quae ſunt in ea praeſtantiſſima Natura, declaratione indiget. Spectari enim Attributa poſſunt, ſive ea ratione, qua unum omnia in Deo ſunt, ſive ea ratione, qua infinitis aliis rebus, iisdemque maxime diſtinctis aequiparata intelliguntur. Si prout omnia ſunt unum in Deo conſiderantur, qui Deum aliquo modo cognoſcit, ea omnia cognoſcit, quae Deus ipſe neceſſario eſt. Sapientia enim ille eſt,

Juſtitia, Bonitas, et caetera hujuſmodi. Quare qui cognoſcit Deum, Sapientiam, Juſtitiam, Bonitatem infinitam cognoſcere dicetur, quamvis eſſe Deum et Sapientem, et Juſtum, et Bonum ne cogitet quidem. Ea tunc Attributa *in ſenſu reali* cognoſci, vetuſtiores Metaphyſici ajebant. At ſi Attributa eadem cogitationis noſtrae vi quodammodo diſtincta intelligantur, unum ſine altero cognoſci non raro contingit. Ita Bolingbrockius Sapientiam agnoſcit ipſius Dei, non tamen Juſtitiam, aut Sanctitatem, aut Clementiam, aut reliquas honeſti animi dotes. Tunc *in ſenſu formali* unum cognoſci, alterum ignorari, dicebant iidem Philoſophi, qui, de rebus ipſis cum accurate diſputarent, verborum delectum non modo negligere, ſed et eos, qui negligere nollent, facile aſpernari conſueverant.

Jam vero, ſi rationem hanc alteram ſpectemus, prorſus infinita ſunt in Deo, quae ne leviter quidem cognoſcere videamur. Qui non id continuo concedat, neſcio equidem quid conceſſurus, aut cenſurus aliquando ſit.

Sane, quae poſſent in Deo hac ratione diſtingui, ac diſtincta cognoſci, prorſus infinita dicenda ſunt. Infinitis ergo cognitionibus ad ea percipienda opus eſſet, aut una cognitione, ſeu pluribus, quae loco infinitarum cognitionum eſſent. Si vel Aëtius vel Eunomius, tam perfectas effingere mente ſua cogitiones ſeſe poſſe, glorientur, riſus, ut dicam leviter, captare videbuntur.

Quod

Quod autem illi ſententiae ſuae fundamentum ponere ſe poſſe, confidebant, ſimplicem rem eſſe Deum, partibuſque carentem; id enimvero non poſſe ab humanis mentibus omnino comprehendi, mediocri cuilibet ingenio ſatis oſtendit. Intellige, ſi potes, aut modum affer, quo intelligere quiſpiam poſſit, quid res illa ſit omnino ſimplex, et individua, quae neque genus eſt, neque ſpecies, neque generis ullius, aut ſpeciei notione concluditur; ſed tamen et in omni loco eſt, et omnium rerum virtutes complexa continet, et infinita Bona ſine Malis ullis, incommodiſve complectitur.

Id qui ſe perfecte poſſe intelligere dixerit, ne modum quidem, quo caeteras res intelligat, aſſecutus videtur. Quidquid enim intelligunt homines, niſi diviſum in partes natura ſit, ipſi quodammodo dividunt, rurſuſque componunt, ut non tam ipſae res, quam rerum imperfecta quaedam et manca ſimulacra illorum plerumque mentibus obverſentur. Id praecipue tunc fit, quando de rebus agitur corporea mole vacantibus. Illae enim intelligentiae noſtrae vim ita declinant, ut nullo modo, niſi per imagines quaſdam potius adumbratas, quam omnino perfectas, a nobis perſpici poſſint. Itaque Alcinous illa vere (1) „ *Homines tamquam affectionibus oppleti ſenſuum, ita ut, cum intelligibile quidpiam mente percipere ſtudent, ſemper ſenſibile aliquid in phan-*

(1) *Cap.* X.

phantaſia ſua admiſtum habeant, magnitudinemque una ſaepius, ac figuram, et colorem cogitent; neutiquam ſincere intelligibilia percipiunt „ Ex his efficitur, ne animi quidem noſtri naturam a nobis perfecte cognoſci; quod et innumeris aliis rationibus explicaretur, ſiquidem opus eſſet. Quis ergo non videt, multo minus ipſius Dei Naturam a nobis clara cognitione percipi, quae ſcilicet et ſimplicior eſt, quam ipſe hominis animus, et a ſenſibus noſtris, ipſiſque corporibus longe remotior?

Illa quidem Natura eſt omnino ſingularis, quam nulla res, ut perfecta, et nobilis, ita refert, ut non eadem multo diſſimilior Deo, quam eidem ſimilior haberi poſſit, ac dici. Quam ergo poterimus de Natura ea notionem nobis effingere, qui creatas imagines, cum ipſum Deum cognoſcimus, neceſſario reſpicimus? Eam nempe, quae admodum imperfecta et manca ratione divinum illud exemplar mentibus noſtris exhibeat. Ac multo quidem Soli ſimiliores illae erunt imagines, quae a pictoribus exprimuntur, quam divinae ipſius Naturae notiones per annorum plurimorum curriculum a nobiliſſimis mentibus elaboratae.

Haec omnia magis intelliget, qui argumenta noverit, quibus Dei notitiam aut nobis comparamus, aut comparatam certe perficimus. Illa enim argumenta tandem a rebus illis quodammodo proficiſcuntur, ſive ducuntur, quas pro ſua vo-

voluntate condidit ipſe Deus. At ex rebus iis, quomodo Deus perfecta nobis cognitione innoteſcet, cum eaedem res a Naturae divinae perfectione infinito intervallo diſtent?

Sed in re nimis clara longius immorari, nihil neceſſe eſt. Quis enim his temporibus aut Aëtium ſequitur, aut Eunomium, ut Anomaeis adnumerari velit? Qui profecto, ſi viverent, ut nunc eſt, helleboro potius, quam argumentis, egere viderentur. Corporum eſſentia quae ſit, inter Philoſophos acerrime diſputatur. Plurimae naturae leges adhuc ignotae ſunt. Quas vero tenemus, earum rationes aut vix, aut ne vix quidem explicamus. Non ergo iſta omnia, quae finita, quae creata, quae noſtris mentibus, ut ita dicam, finitima ſunt, mentes ipſae comprehendunt. Haec ergo qui non poſſumus, Dei Naturam tam apta cognitione intueri poſſumus, ut neque clarior illa, neque perfectior poſſit exiſtere? Inteſtabilis propter amentiam, ut ſaepe ſignificavi, quiſquis ita ſentiat, eſſe videatur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

Creatas quaslibet mentes quovis lumine illuſtratas Dei Naturam perfecte comprehendere non poſſe probatur.

Hic illud accuratius oſtendere operae pretium eſt: creatas quaslibet Intelligentias, quovis lumine adjutas, nedum homines, quibus nihil vilius, nihil infirmius, ad perfectam eam cognitionem, de qua loquimur, et quaerimus, nullo modo poſſe conſurgere. Argumentis id a ſacra petitis auctoritate, clariſſimiſque ſententiis ipſius Divinae Scripturae Scholaſtici facile docent (1). At ratione nobis in his libris contra impios praecipue conſcriptis tantummodo utendum eſt. Ratio igitur ipſa quid docere nos poſſit, audiamus.

Si quaedam Intelligentia creata Deum omnino comprehenderet, ejus infinita ſapientia eſſet. Quis non videt id facillima conſecutione, ac veluti ſponte manare? Cum enim in Deo ſint infinita

(1) Sunt etiam, qui naturales rationes afferunt. At vereor, ut plerique probent, quod optant, potius quam ſumant. Leonardus Leſſius e. g., qui de divinis Attributis accuratiſſime diſputavit, primo quidem ſumit, *Intellectum*, ut vocat, *creatum per lumen ordinis naturalis* numquam Deum poſſe comprehendere „ *quia per lumen*, inquit, *ordinis naturalis*, *quantumvis magnum*, *numquam ad illam celſitudinem poterit pertingere* „: deinde idem de lumine gloriae docet, quod requireretur „ *lumen gloriae infinitum*, *quod neque eſſe poteſt*, *neque a ſubjecto creato ſuſcipi* „ Reliqua omitto. Jam, quae ille ſumit, veriſſima ſunt. At ſi quis Deum, quamvis Infinitum, tamen Incomprehenſibilem eſſe negaret, etiam illa negaret, quae ad id oſtendendum Leſſius attulit. Negaret, inquam, et lumen ipſum naturae multo nobilius, atque ſplendidius, quam in homine ſit, non ad id ſufficere, aut etiam infinitum eſſe non poſſe. Ac deinde multo moleſtiorem de lumine gloriae, quod ipſe, pro ſua infinita Potentia, Deus creatis mentibus infundat, Leſſio litem intenderet.

ſinita Bona, cum rerum omnium ipſe Deus ſit exemplar, et ratio, qui omnia, quae ſint in ipſo, clariſſime videt, infinita, atque adeo prorſus omnia videt, quae infinita Sapientia tenere poſſit. Quare, quid illius mentis incredibili ſapientiae deſit, quominus infinita ſit, atque infinita vocetur, omnino non video.

Jam, non poſſe infinitam Sapientiam in creata mente recipi, probandum eſt. Id autem ita ſe habere, docile quodlibet ingenium facile ſentit; quod eſt, monente ipſa natura, maximum argumentum veritatis. At, quod facile ſentit, non aeque facile probat; quare accuratius id a nobis agendum eſt.

Ac primo quidem illud ſumimus: creatam quamvis Naturam non poſſe eamdem infinitam vel haberi, vel dici. Nam quae rationes oſtendunt, infinitam eſſe Dei Perfectionem eaedem ex contrario, non eſſe infinitam Perfectionem creatae cujuſque rei, oſtendant, neceſſe eſt. Jam vero, ſi creatae mentis eſſet infinita Sapientia, eſſet etiam infinita Natura; quod cum eſſe non poſſit, ea Sapientia nullo modo infinita debet exiſtimari.

Illud autem oſtenditur. Etenim naturae cujuſque nobilitas, atque perfectio ex proprietatibus, quibus maxime viget, aeſtimari ſolet, ac debet. Nulla autem proprietas major eſt infinita Sapientia, vel melior. Nulla igitur ea natura, cui ſit infinita Sapientia, major aut melior excogitari poteſt.

Facit

Facit huc illud, quod Scholaſtici poſt Divum Thomam graviſſime docuerunt „. *Modus operandi*, ajebant illi, *ſequitur modum eſſendi*„ Et id quidem vel experientia, vel ratione facile comprobatur; tum quod omnia, quae ſunt, quo melius operantur, aut certe quo melius operari poſſunt, eo meliore natura ſunt; ut Angelus melior quam Homo; Homo autem, quam bruta quaevis animantia; haec autem et plantis et lapidibus natura praeſtant: tum quod natura ſit, ut, quod ſibi proprium eſt, operetur, atque agat. Niſi enim ideo ſit, inutilis in rerum univerſitate eſt; atque hinc nulla ejus ratio ſufficiens invenitur, ex quo ſequitur, ut nullo modo poſſit exiſtere. Atqui, ſi natura eſt, ut agat, quo melius eſt quidquid agere poſſit, eo melior et ipſa ſit, omnino neceſſe eſt.

Quid autem melius agere poteſt natura quaevis, quam ſi infinitae ſapientiae munere, ac delectatione fruatur? Nam, in quo infinita ſapientia eſt, et infinita felicitas eſt, ut omnes intelligunt, qui animi gaudia corporis voluptatibus anteponunt: Quamobrem ex hoc etiam capite fatendum eſt, cujus infinita ſapientia ſit, ejusdem et infinitam eſſe naturam; et cum creata natura eſſe infinita nequeat, hinc ne ſapientiam quidem hujus infinitam eſſe colligitur. Nulla igitur, ut initio dicebamus, creata mens Dei Optimi Maximi Naturam, in qua infinita Bona ſunt, perfecta ſcientia comprehendet.

Ac-

Facit huc etiam ratio lectiſſimis verbis ab Hugone Grotio propoſita (1) „ *Eſt enim*, inquir, *id inferioris cujuſque proprium, ut quae ſe ſuperiora, atque excellentiora ſunt, capere non poſſit. Ne beſtiae quidem, quid homo ſit, capiunt; multoque minus ſciunt, qua ratione homines reſpublicas inſtituant, ac regant, aſtrorum curſus metiantur, mare navigent. Haec enim omnia ipſarum captum ſuperant. Atque ex hoc ipſo Homo, quippe ſupra beſtias nobilitate naturae conſtitutus, idque non a ſeſe, inferre debet, id, a quo ſuperior beſtiis eſt conſtitutus, non minus ſeſe eſſe ſuperius, quam ipſe ſit beſtiis; ideoque eſſe aliquam naturam, quae, utpote excellentior, ſui captus modum excedat* „ Haec autem ratio, ut facile tute vides, non ſolum in homines, at in creatas etiam quaslibet intelligentias optime quadrat.

Hae rationes autem omnes efficiunt, non modo naturae lumine, ſed et illo, quod gloriae Theologi vocant, non poſse Deum ipſum creata ſcientia comprehendi. Nam et mens quaelibet, et lumen ipſum gloriae, ut ſumantur ſimul, aliquid profecto ſunt, quod a ſumma divinae Naturae perfectione infinito diſtat intervallo. Ex iis igitur etiam ſimul ſumptis infinita ſapientia non poteſt exiſtere. Itaque huc omnia faciunt, quae modo dicebamus.

(1) *Lib. I. de Ver. Rel. Chriſt.*

CAPUT XXI.

Quomodo ſint intelligendae quaedam de hoc Attributo Dei loquendi rationes, quibus impii abutuntur, breviter contra Baylium oſtenditur, ac praeterea Bulangeri, nec non Mirabodii temeritas coërcetur.

EX iis, quae dicta ſunt hactenus, multa colligi licet, quae magno nobis uſui contra recentiorum Incredulorum furorem atque protervoiam futura ſint. Ac primo quidem illud perfacile intelligimus; quod aliqua jam ex parte ſupra explicatum eſt; quid ſibi Chriſtiani Scriptores illi velint, qui nihil fere nos poſſe docent de nobiliſſima illa Natura ſine magno errandi periculo pronunciare. Quibus ea finitima ſunt, tertio quoque verbo a quibusdam ſanctis Patribus, ac Theologis adhibita: Ignorantiam in his rebus citius profitendam eſſe quam ſcientiam; verius, quid non ſit Deus, quam quid ſit, explicari; omnia de Deo affirmari quodammodo, et negari poſſe; atque alia ſimilia.

Fuſius de iis Petavius, Leſſius (1), aliique Theologi diſputant. Quos profecto ſi Baylius conſuluiſſet, numquam aut vera eſſe, aut vera ſaltem a lectoribus habitum iri, ea perabſurda, et perridicula, quae ſcribit in Articulo de Simonidè,

(1) Petav. *Theol. Dogm. L. I. c. 5. et al.* Leſſius *de Divin. Perfect. L. I. 4. 3.*

de, animum induxiſſet. Similia enim iis, quae diximus, perinde accipi voluit, ac ſi poetae Simonidi faverent, prorſus omnem, ut ille putat, in quaeſtione de Natura divina, veritatem ex animo deſperanti.

Nobis autem hoc loco illud tenere ſufficiat: haec omnia non id ſignificare, ut nihil de Deo, quod proprie dicatur, ac vere, homines afferre poſſint. Nam Chriſtianis univerſis fatentibus, imo vel maxime volentibus, et vere Deus eſt, et Sapiens eſt, et Omnipotens, et Miſericors, et Juſtus eſt, et omni vera Bonitate, ac Perfectione beatiſſimus. Id niſi fateamur, quid eſt, quod tantopere Atheos reprehendamus, aut impios homines, atque nefarios, quod iſta nolint agnoſcere, habendos eſse arbitremur?

Sed neque ea ratione Deus eſt, neque ea ratione Sapiens eſt, aut Miſericors, aut Omnipotens, qua cogitant eum eſſe homines, aut cogitare poſſunt. Sunt iſta quidem propria Deo, at non ea ratione ſunt propria, quam creatae mentes aſſequantur. Nam ſi notionem aut Sapientiae, aut Omnipotentiae animo efformes, neſcio quid omnino finitum, ut diximus, neceſſario cogitabis. Non igitur id, quod cogitas, in Deo eſt, niſi quatenus rem eſſe cogitas, et rationem, qua ſit, ſeſe obtrudentem, ut ita dicam, et obrepentem animo arces ac removes.

Hinc ſupra notiones omnes humanae mentis eſſe Deus dicitur ab eo Scriptore, qui Dionyſius

nyſius Areopagites habebatur in ſcholis. Hinc et idem non eſſe, at ſupra id eſſe, quod eſſe dicimus, et ſupra Sapientiam, et ſupra Bonitatem, et ſupra Virtutem, quin et ſupra Deitatem ipſam eſſe, non dubitat affirmare (1). Hinc etiam illa Boëtii „ *Deum non eſſe vere ſubſtantiam, ſed ultra ſubſtantiam* „ quae duriuſcula certe videri poſſunt (2). Hinc illa Joannis Damaſceni, optimi ſcilicet Scholaſticae Theologiae parentis, acutiſſimique Scriptoris „ *Convenientius eſſe ita de Deo praedicare aliquid, ut ei omnia detrahantur: quippe nihil eſt eorum, quae ſunt; non ut nihil ſit; ſed ut ſit ſupra omnia, quae ſunt; imo vero ſupra ipſum eſſe* „ (3).

Nempe nihil noſtris obverſatur animis, cum de Deo cogitamus, aut loquimur, quod ipſam Dei Naturam, aut ullum Dei Attributum, quatenus diſtinctum a caeteris intelligi poteſt, ſatis bene exprimat, aut exhibeat. Itaque de Deo praeclare cogitare videmur, ſi nihil ex iis, quae nos intelligimus, Deum eſſe fatemur, ſed aliquid infinite nobilius, atque praeſtantius.

Si paucis omnia complecti volumus, nihil illuſtrius in hanc rem, aut luculentius afferri videtur, quam quod Joannes Cypariſſiotus apud Peta-

(1) *In libris de Divinis Nominibus, ac de Coeleſti Hierarchis ſaepiſſime.*

(2) Boëtium, et Auctorem Coeleſtis Hierarchiae putat Hookius (*P. I. Relig. Nat. p.* 92.) favere ſententiae recentiorum, quos cum ipſo mox confutabimus. At revera nihil babent ii ſcriptores, ut vides, quod nequeat ad ſaniorem reduci ſenſum, ut nos facimus.

(3) *Lib.* I. *de Fide c.* 4. „ Οἰκειότερον δὲ μᾶλλον ἐκ τῆς πάντων ἀφαιρέσεως ποιεῖσθαι τὸν λόγον. οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐστίν, οὐχ ὡς μὴ ὤν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ ὑπὲρ αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι ὤν „.

tavium graviſſime ſtatuit „ *Quod affirmatio*, inquit, *affirmavit* (de Deo) *hoc ipſum negatio non negavit. Quin imo ſicut affirmatio non ponit, quid ſit Deus; ſic neque negatio tollit, quid ſit Deus. Quod enim non ponit, quomodo tollat? Denique aeque non aſſequitur ſubſtantiam Dei tum affirmatio, tum negatio. Hoc ſolum differunt, quod propius accedit ad veritatem, qui dicit non eſt hoc, quod nos exiſtimamus* „.

Neque enim haec omnia ita intelligenda ſunt, ut quibusdam recentioribus placuit, qui cum omnia ſumma Deo tribuere vellent, vereor, ne ex animis hominum ipſius Dei evellere notitiam, et omnem cultus, omnem officii delectum de medio removere voluiſſe videantur. Eorum ſententiam ita deſcribit Hookius „ *Ajunt ejus Attributa eſſe toto genere disjuncta ab illis perfectionibus, quarum formam habemus in animis, et nos non debere illas attribuere Deo, ſenſu univoco, ſed ſenſu tantum analogico; id eſt, debere nos cogitare, in Deo eſſe aliquid ſupra noſtrum intellectum, quod reſpondeat aliqua ratione iſtis noſtris perfectionibus, quamvis cum illis non habeat veram ſimilitudinem etiam genericam* „ (1).

Multa deinde vir acutus contra eam ſententiam tum ab auctoritate divinae Scripturae, tum a theologica ratione diſputat: quibus omiſſis vel unico

(1) *Relig. Natur.* P. I. *cc. p.* 92. qui citat pro ea lib. qui inſcribitur anglice: *The procedure, extent and limits of human underſtanding*.

unico eamdem a nobis argumento labefactari, atque adeo prorſus everti poſſe confidimus. Nam et Sapientia, et Sanctitas, et caetera hujuſmodi per ſe omnia Bona ſunt, neque ratio ulla eſſe vel fingi poteſt, quamobrem in omni natura neceſſario quibusdam admixta Malis dicenda ſint. Quid enim Sapientiae, quid Virtuti, quid caeteris Attributis cum Boni alicujus privatione commune eſt? Ea potius quidquid Bonum eſt perficiunt, et mala plurima ex animis auferunt, aut prohibent, ut ita dicam, atque eſſe non ſinunt. Quare non eſt, cur aliquando ſine Malis ullis non poſſint exiſtere. Vere igitur ea omnia ſecundum propriam naturam ſunt in Deo; in quo Bona ſcilicet omnia ſunt nullis turbata Malis; ac multo verius profecto ſunt, quam in creatis quibuſque rebus. In iis enim nihil eſſet hujuſmodi, niſi ab immenſo illo Bonorum omnium fonte, ſeu potius pelago derivatum. Ex quo intelligitur, cum etiam in creatis mentibus Sapientia ſit (idem de caeteris Attributis) non toto genere humanam a divina differre, ſed hanc infinitam, hanc omnibus ſuis partibus, ut ita dicam, expletam; illam vero et debilem, et exiguam, et mancam, et multis vitiis laborantem eſſe dicendam.

Recentiorum igitur, de quibus diximus, exploſa ſententia, nihil aliud reſtat, quam ut caetera, quae pro explicandis Chriſtianis Auctoribus, a Baylio perperam intellectis, attulimus,

iis,

iis, quae de Incomprehenſibili Dei Natura diſputavimus, quam praeclare ſint conſequentia, demonſtremus. Profecto quae rationes efficiunt, Deum humana ſcientia non poſſe comprehendi, ea omnia etiam haud obſcurius efficiunt. Non enim, ſi ea natura ſimplex, et eadem infinita eſt, et infinitis praedita Bonis, et ab omni materiae concretione libera, modum aut rationem, qua iſta ſint, leviter ea mens attingit, quae corporea tantum, et exiguis circumſcripta finibus intuetur. Nam et modus ille, et illa ratio eſt infinite perfecta; ſeu potius infinita ipſa Perfectio eſt. Infinita vero perfectio non poteſt mentis humanae acie unquam ſatis aeſtimari.

Praeterea, quemadmodum reliqua, ſic et ipſas rerum omnium rationes, aut modos, ex creatis tantummodo rebus, ut declaravimus, rerumque rationibus intelligimus. At ratio quaevis creatae rei, cum neceſſario finita ſit, a rationibus aliis aliarum rerum neceſſario differt. Neque enim ratio, qua Juſtitia eſt in Homine, eadem ac ratio eſt, qua Homini eidem aut Sapientia, aut Potentia eſt. Cujuſvis igitur creatae rei quaevis ratio a ratione cujuſvis Attributi divini tota diverſa eſt. Una enim in Deo ratio, ratio omnium eſt, et, quae Sapientiae, eadem Juſtitiae eſt, eadem Omnipotentiae, eadem Immenſitatis. Qua ratione Deus eſt, eadem vult, eadem intelligit, eadem poteſt. Multa nos in ea Natura diſtinguimus, et attributa innumerabilia, et modos attributorum,

et

Digitized by Google

et rationes animo volvimus. Quid proprium Sapientiae ſit, quid Sanctitatis, aut Clementiae definimus. Et Juſtitiae, et Miſericordiae, et Sanctitati ſua quaedam conſtituere videmur quaſi penſa, vel munera. At nihil tale in ea natura eſt, nihil, inquam, ex partibus variis, aut diſtinctis exiſtit, nihil quod avelli poſſit a reliquis, nihil quod unum ita ſit, ut revera non aliud ſit ad nobiliſſimae illius Naturae Perfectionem ullo modo faciens. Unicus ille Actus eſt, ut Theologi loquuntur, qui ſublimiſſima illa ratione, de qua ſermonem inſtituimus, poteſt omnia, quae poteſt, vult omnia, quae vult, cognoſcit omnia, quae cognoſcit; ut nihil natura ſimplicius, nihil virtute potentius, nihil bonitate perfectius, cum tamen et natura, et virtus, et bonitas ipſe ſua ſit, debeat, aut poſſit, niſi per ſummam injuriam, exiſtimare. Quis jam nobiliſſimam eam rationem ſatis explicari, quis vel rudem ejus notionem effingere, nedum complecti totam animo, ſe poſſe confidat?

Haec omnia Chriſtiani Doctores bene multi cum docere vellent, et ea, quae attulimus, et alia plurima rhetorice dixerunt, quae tam male Baylius interpretatur.

Illi autem Athei, praecipue Bulangerus, et Mirabodius (1), qui, non eſſe Deum, ex iis, quae

(1) *Boulanger ſaepe v. g. Chriſtian. Devoilé Ch.* VII. *p. 87. Mirab. Syſt. de la Nat. To.* I. *p. 57. et alibi:* ſed eo quidem loco contra ſe videtur teſtimonium dicere, vel certe non levem invidiam ſuae creare ſententiae, ubi clamat, ut mihi quidem furere videatur „ *Il eſt evident que toute Re-*

quae diximus, conſequi dixerunt, vix confutatione digni videri poſſunt. Ea ſtultitia eo principio nititur, quod alio loco labefactavimus; nihil eſſe credendum, de quo clara ſatis, et evidens notio noſtris mentibus eſſe nequeat. Dei porro notionem ita claram, nobis fatentibus, numquam efformaturi ſumus. Hinc nihil de Deo eſſe credendum, ac ne ipſum quidem exiſtere Deum, ſtultiſſimi homines jactant.

Satis ad haec, niſi fallor, eo, quem innuimus, loco reſponſum eſt. Divinam enim Perfectionem non ideo eſſe negandam, quod non ſatis percipiatur a nobis, luculenter oſtendimus. Quamobrem duo hic meminiſſe ſufficiat, de quibus ne leviter quidem liceat homini non prorſus inſano dubitare. Alterum eſt, clara notione nobis evidens fieri, tum quod exiſtat Deus, tum quod et Bonus, et Sapiens idem ſit, et Omnipotens, et Juſtus, et, ut paucis omnia complectar, infinita Perfectione naturae. Alterum eſt, clara item notione demonſtrari, non poſſe homines eam rationem aſſequi, perfectiſſimam videlicet, ac nobiliſſimam, qua Deus habeat omnia, quaecumque habet. Hinc ſi, vel Atheis ipſis concedentibus, de rebus clara notione perceptis dubitare nefas habendum eſt; quin Deus et infinite Perfectus ſit, et idem Incomprehenſibilis omnino ſit, ea ratione, qua diximus, nullo unquam modo, ſi ſapimus, dubitaturi ſumus.

Religion eſt fondée ſur le principe abſurde, que l'homme eſt obligé de croire fermement ce qu'il eſt dans l'impoſſibilité la plus totale de comprendre,,.

CAPUT XXII.

De conſectariis quibusdam ejus doctrinae, quam expoſuimus, a ſumma Dei Perfectione manantis, contra temeritatem Incredulorum, qui Myſteriis omnibus revelatae Religionis fidem denegant.

QUae diſputavimus hactenus, cum per ſe clara ſunt, atque perſpicua, tum Incredulorum noſtri temporis impietatem ita convincunt, ut nihil ei reliquum faciant, quo ſe ipſa tueatur. Nam ſi comprehendi non poteſt humana ſcientia Deus, jam probabilis ulla ratio eſſe non poteſt, quamobrem Chriſtianae Religionis myſteria a nobis rejicienda ſint. Quo perfecto, atque concluſo, quis porro non intelligit, nihil eſſe, quominus eidem Religioni quiſpiam dare nomen, ejuſque caſtra ſequi non injuria recuſet, atque detrectet? Quamobrem operae pretium erit, quam apte concludatur, quod diximus, accuratius hoc loco demonſtrare. Ex quo et illud quaſi ſponte conſequetur: non e Chriſtiana re fuiſſe laborem ab eo Scriptore, qui Thomas Bonartes Nordtanus dici voluit (1), in libro *de Concordia Scientiae cum Fide* ſuſceptum. Is enim in auguſtis Religionis Chriſtianae myſteriis nihil eſſe, quod non ſatis intelligamus, nihil quod non ſatis probare poſſimus, nihil cujus rationem ignoremus, ope-

(1) Verum ejus nomen fuit Thomas Barton.

operoſe oſtendere aggreſſus eſt. A quo ita diſſentio, ut non modo Myſteriorum, de quibus agimus, a nobis rationem inveſtigari non poſſe doceam, ſed neceſſario hujuſmodi Myſteria in praeſtantiſſima Dei Natura locum habere ſentiam. Similia contra Scriptorem antiquiorem, Raymundum ſcilicet Lullum, qui fere eadem probare conatus eſt.

Quaecumque Chriſtianae Religionis Myſteria vocari ſolent, in duplici ſunt differentia. Alia enim ad Naturam ipſius Dei, alia ad Voluntatem facile revocantur. Illuc enim ea pertinent, quae de ipſo Deo credenda Chriſti Religio proponit, ut Sanctiſſima *Trinitas*, ut *Incarnatio*, ut multa, quae poſſe Deum divinae Scripturae auctoritate novimus, ut caetera hujuſmodi. Nihil enim de iis humana ratio ſibi relicta ſuſpicatur, quae videlicet ſi a ſapiente quovis homine ſuo dumtaxat nomine proponerentur, ſine ulla dubitatione rejiceret. Alia vero Myſteria pertinent ad ipſius Dei Voluntatem; quo loco illa omnia veniunt, quae *Incomprehenſibilia Dei Judicia* Chriſtiani vocant. Haec omnia tandem eo ſpernunt Increduli, et perabſurda putant, quod illorum nullo modo rationes aſſequantur.

Poteſtne aliquid ſtultius, aut inſipientius excogitari? Si enim Deus eſt id, quod humana ſcientia comprehendi non poteſt, non modo mirum eſſe non debet, plurima in Deo hujuſmodi eſſe Myſteria, at mirum videri deberet, aut po-

Digitized by Google

tius abſurdum, ſi nulla eſſent. Primum id de Natura ipſa videamus.

Quae comprehendi Natura non poteſt, aut multa complectitur, quae non ſatis a nobis intelligantur, aut multa certe, quae tantum confuſa quadam ratione nobis appareant. Alterum verum eſſe credimus; alterum hoc loco adverſariis largimur. Utrumque autem conficit, quod volumus. Utrumque enim oſtendit, eſſe in ea Natura, quorum nullo modo rationes a nobis teneri liceat. Quid enim, ſi rationes omnium teneremus, in ea Natura difficile nobis intellectu eſſet, quid non ſatis clare cognitum, atque perceptum? Jam ſi multa ſunt in ea Natura, quorum nullo modo rationes aſſequamur, multa ſunt, atque eſſe debent, Myſteria, de quibus loquimur. Quid enim, amabo, in re noſtra Myſterium eſt, niſi quod ita eſt, ut cur ita ſit, aut quomodo ſit, aut quid omnino ſit ab humana quavis mente non poſſit intelligi? Si rationes alicujus rei non aſſequimur, haec omnia profecto non aſſequimur. Licet enim hic ex contrario arguere; quoniam ſi rationes rei omnes aſſequeremur, ea omnia, quae diximus, de ipſa re nobis explorata eſſent, ac manifeſta.

Sed remota etiam diſſerendi ſubtilitate innumerabilia, quod volumus, exempla declarant. Cum enim rerum, quas barbaro vocabulo *Subſtantias* appellavere Scholaſtici, naturam penitus animo percipere nemo poſſit, hinc et in eis tot my-

myſteria leviter etiam conſiderantibus occurrunt, ut multo plura ſint, quae de iis ignoremus, quam quae quoquo modo cognoſcere videamur (1). Animus ipſe noſter, quo vivimus, quo ſentimus, quo cogitamus, rationeſque concludimus, aut qui potius idem eſt, ac nos ipſi, qui haec omnia conficimus, nonne pauca hujuſmodi myſteria natura ſua videtur obvolvere? Explica, quaeſo, quid ejus memoria ſit tot rerum, atque tantarum, quid intelligentia, quid ipſa voluntas, quid caeterae facultates, quibus maxime viget? An vero ille per totum corpus, vel ſaltem per aliquam corporis partem extenditur? Qui poteſt id fieri, ſiquidem partibus omnino caret? An potius non extenditur? Quis eſt qui animum, cum omnia regat membra corporis, et in ipſis corporis ſenſibus ipſe omnia ſentiat, atque percipiat, puncti inſtar in corpore obtinere putet? aut ſi putet, id quale ſit, aut quomodo ſit, aut eſſe poſſit, ſatis intelligat? An Leibnitio aſſentiris *praeſtabilitam* neſcio quam *Harmoniam* inducenti? An iis, qui *phyſicum* tuentur *influxum*? An Carteſium audis? an Mallebranchium? An

(1) Urget hoc argumentum contra Atheos Samuel Clarkius (*de l' Exiſt. de Dieu To.* I. *Ch.* 5. *Prop.* 4.) „ *La conduite de l' Athée, qui nie l' exiſtence de Dieu, par la raiſon que ſon eſprit foible, et fini ne ſauroit ſe former une idee juſte de l' eſſence de cette premiere, et ſuprême cauſe, eſt la choſe du monde la plus foible, et la plus deraiſonnable. La ſubſtance, ou l' eſſence de toutes les autres choſes nous eſt entierement inconnue; je n' en excepte pas même les choſes que nous voyons, que nous touchons, et que nous croyons de mieux connoitre* „ Haec deinde fuſiore oratione probat; quae non modo contra Atheos, ſed et contra reliquos adverſarios noſtros optime faciunt.

An Peripateticus es, an Platonicus? Quis ex iis omnibus non ultro fatetur, plurima nos ad Animi pertinentia naturam ignorare, in plurimis haerere, plurima eſſe de illo, niſi Pyrrhonis more deſipiamus, omnino tenenda, quamvis qualia ſint, quomodo ſint, aut etiam eſſe poſſint, nos omnino lateat?

Quid? Ipſa Corporis eſſentia num tibi perſpecta eſt? Num ergo id eſt, quod *Soliditas*, num quod *Senſibilitas*, num quod *Extenſio triplex* appellatur in ſcholis? Quid eſt a Philoſophis omnium temporum, omnium diſciplinarum hac in quaeſtione diſputatum, quod probabili aliqua ratione tentari et convelli nequeat? Sed fac ſatis id conſtare. Quam multa ſunt, quae nemo, philoſophis auctoribus, ſatis bene percipiat, quam multa, quorum nulla ratio reddi poſſit! Neque enim, qua ratione Corpus aut motum recipiat, aut gignat, aut ullam ſpatii partem ſuo motu percurrat, neque alia hujuſmodi, quae ſunt iunumerabilia, quiſpiam aſſecutus eſt. Jacent enim ea tam craſſis occultata, et circumfuſa tenebris, ut niſi experientia, hoc eſt optima rerum magiſtra, nos edoceret, ne poſſe quidem in rerum eſſe natura viderentur.

Quam late pateat hic locus, nemo eſt vel leviter eruditus, quin facile videat, planeque ſentiat. Nam et in geometricis diſciplinis plurima ſunt, quae pleriſque hominibus incredibilia videan-

deantur (1) ; et idem in Aſtronomicis , idem in reliquis Mathematicis , idem in alia quavis arte contingit, quae via et ratione in indaganda veritate verſetur. Quod ſi Deus ille Mathematicorum Nevvtonus diligentius perpendere voluiſſet, non fuiſſet fortaſſe ab admittendis Chriſtianae Religionis Myſteriis , ſi qua Volterio fides hac in re haberi poteſt (2), tantopere alienus.

Si enim iis rebus, quae ſummorum hominum ſcientia continentur, tanta obſcuritas ineſſe poteſt, ut, qui ab illorum ſubtilitate diſtant, multa cum ſua ratione manifeſte pugnantia per eosdem doceri putent, nonne rectae rationi conſentaneum eſt, multo magis in ea natura, quam nullae creatae mentes, nedum homines, comprehendant, plurima eſſe debere prorſus occulta, plurima, quae noſtrae intelligentiae aciem omnino fugiant, plurima, quae ſi tantum

(1) Exemplum hujus rei ſumi poteſt ab iis, quae Riccatus, gravis auctor in primis, monet (*Op. To. I. L. 2. P. 2. C. 9.*) „ *Dacchè i moderni Geometri hanno cominciato a maneggiar con poſſeſſo le quantità relativamente infinite, ed infiniteſime, ſono rimaſti convinti, che per rapporto ad eſſe non ſi verificano alcuni aſſiomi, che nelle magnitudini finite ſono d' incommutabil certezza, e non ammettono eccettuazione ... E' aſſioma triviale, che il tutto è maggiore della ſua parte : ma queſto ſovente non ha luogo in quella ſpecie di grandezze, che per eſſere o maſſime o minime relativamente diventano incomparabili ... ... Il ſeguente aſſioma, ſi ab aequalibus aequalia demas, quae remanent ſunt aequalia, non regge altresì quando ſi torna indietro, e ſi procede dall' infinito al finito* „ Alia ex Phyſicis ac Metaphyſicis exempla, quae ad rem noſtram optime faciunt, vide apud Jaquelotium *Ex. de la Theologie de Monſ. Bayle Ch.* XI. *a p.* 149. et apud Clarkium *de l' Ex. de Dieu To.* I.

(2) *Vid. Volt. To.* II. *Melang. C.* 9. qui Volterius quidem in Anglia cum amicis ac diſcipulis ipſius Nevvtoni, praeſertim cum Samuele Clarkio diſcipulos inter illos fere acutiſſimo, eodemque Haeretico *Anti-trinitario*, diu multumque verſatus eſt.

tum ad humanae ſapientiae trutinam examinanda eſſent, prorſus incredibilia deberent exiſtimari?

Vidit id Mopertuiſius, magnum hac aetate inter Philoſophos, et illuſtre nomen. Itaque, ut aliqua ſcripſerit, quae hominibus vera pietate in Deum, germanaque doctrina praeſtantibus non admodum ſatisfaciant, rationem ab Incredulis ex noſtrae Religionis Myſteriis petitam elevare, atque adeo palam contemnere minime dubitavit (1).

Eadem vero, quae de Natura diximus, de Voluntatis ipſius divinae Myſteriis omnino dicenda ſunt. Quod plurimorum hominum mentes interdum ſine ulla ratione commoventur, cum fines, propter quos aliquid agat ipſe Deus, nullo modo percipiant. At enim ſi Dei Opt. Max. eſt infinita Sapientia, debet id neceſſario contingere, ut ille plurima velit, plurima etiam agat, quorum rationes ac fines nulla creata mens aſſequatur: ex quo facile conſequi vides, ut multa faciat Deus, quae facturum ipſum eſſe, niſi forte promiſiſſet ipſe, aut praenunciaſſet, aut alia ratione oſtendiſſet, ne ſuſpicarentur quidem homines etiam ſummi, etiam ſapientiae, atque doctrinae laude perfecti.

Nam ſi infinita Dei Sapientia eſt, infinita profecto videt, quae nos videre non poſſumus. Cur autem inter ea, quae videt hoc modo, plurimi non eſſe poſſint, atque adeo debeant, agendi fines? Quamquam ita dico plurimos

(1) *Vid. Oeuvr. To.* II. *Lettre* 23.

mos hoc loco fines, ut tamen omnes ad unicum, qui Deus ſibi eſt, referri intelligam. Sed certe Dei Sapientia, cum ab ea univerſorum hominum Sapientia infinito diſtet intervallo, rem unam ad aliam ita referre poteſt, ut nos, tum haec tum illa quae ſit, et an ſit, et quomodo ſit, et quid in tota rerum univerſitate praeſter, qui conveniat cum caeteris, omnino ignoremus. Etenim ſi rerum, quas agat Deus, rationes inveſtigare poſſimus, ſi quidquid ſapienter, quidquid juſte, quidquid convenienter atque apte poſſit agere, nobis ſtatuere liceat, quid jam inter utramque ſapientiam intereſſe dicendum eſt? Quamobrem qui ſapit ultro fatebitur, plurima in rerum omnium providentia, quam Deus ipſe pro ſua bonitate gerat, futura eſſe Myſteria: quae profecto ſi locum habitura neceſſario erant, numquam ille movebitur, quod locum habuiſſe viderit.

Et ejus quidem rei conjectura non levis ab humanis etiam rebus capi facile poteſt. Quis enim neſciat, vulgus hominum nihil minus, quam fines, propter quos agant ſapientes, cogitatione conſequi? Multa ſunt, quae vulgo inepta prorſus ac vana; multa quae ludicra, multa etiam quae ſapientiae ipſius fini omnino contraria, ut ſapientibus ab hominibus acta, videri poſſint. Quaenam autem vulgo ſunt hac in re partes relictae? Nimirum, ut quae non intelligit, quorum non aſſequitur ullo modo rationes, vereatur, et animum coërceat, et linguam, niſi ma-

nifeſto erroris diſcriminai committere ſeſe velit. Has ab hominum vulgo leges non ſemper ſervari non inficior. Temerariis enim, ac levibus hominibus omnia referta ſunt. Non tamen eas leges eſſe contemnendas, liberalis lector arbitrabitur. Quis multo minus inter vulgus hominum, et ſapientes homines, quam inter homines univerſos, ipſumque Deum, intervallum relictum eſſe non videat, ut multo minus homines univerſi rationes, propter quas agat Deus, quam vulgus fines, quos hominum magnorum ſapientia reſpiciat, omnino tenere poſſit? Pudeat ergo Incredulos noſtri temporis arrogantiae, qua quidquid agere Deus in ſacris paginis dicitur, humana ratione, ſeu furore potius, atque protervia ſua aeſtimare malunt, quam ab iisdem ſacris paginis; quid Sapientia Dei poſſit, quid homines deceat, ullo modo diſcere.

Adhibenda nobis quidem eſt illa Ratio, qua ſapientiſſimus ipſe Deus hominum mentes inſtruxit. Etenim inter doctrinam, quam tradidimus, ac ſtultitiam Pyrrhonis multum intereſſe, quis contra Baylium non facile concedat? Cum haec inter ſe vafer Sophiſta comparavit, non aliud egit, niſi ut libidinem ſuam oſtenderet omnia tenebris offundendi; quo melius rem ſuam agere poſſet, ac tutius (1). At vero, quae ſint ipſius Rationis partes, quid illa conſequi per ſe

quid

(1) Confutat eam Baylii calumniam, praeter caeteros, Gauchat *To. V. Lettr.* 52. ubi alia plurima contra Baylium Chriſtianae Myſteria Religionis, dum rationem deprimere videri vult, elevantem.

quid ipſius tantummodo Dei magiſterio diſcere queat, intelligendum eſt. Huc enim illud optime facit *Noſce Te ipſum*, quod ab uno ex ſapientiſſimis Graeciae Philoſophis non tam de corpore fuiſſe, quam de animo ipſius hominis pronunciatum graviſſime monuit Romanae Facundiae Pater.

CAPUT XXIII.

Rationes, quibus recentiores Increduli, praecipue Ruſſojus, ſpernunt Myſteria, quae diximus, confutantur; eademque Myſteria non contra, ſed ſupra humanam eſſe Rationem oſtenditur.

QUamquam Increduli noſtrorum temporum, ad quos convincendos diſputationem omnem ſaepe conferimus, ſi quid loquatur Deus, audiendum eſſe concedunt, ea tamen arrogantia, vel potius inſania plurimi laborant, ut nihil ipſum Deum loqui poſſe, quod non ſatis percipiatur a nobis, atque adeo, cujus veritas a nobis demonſtrari non poſſit, arbitrentur. Hic eſt ipſius Joannis Jacobi Ruſſoji capitalis error, in cujus libris ſpecimen quoddam ingenii, et elegantiae, atque adeo humanitatis, modeſtiae, pudoris ineſſe, haud ita paucis hominibus videri ſolet. Num mentior? Si quis dubitat in celeberrimam ipſius epiſtolam ad Pariſienſem Archiepiſchopum datam, aut libellum, cujus defenſionem

in ea epiſtola ſuſcepit, qui *Profeſſio Fidei Vicarii Sabaudi* inſcribitur, conjiciat oculos.

His autem ea conſentanea ſunt, quae ſcribit in aliis libris, ut cum ait „ *doctrinam omnem, quae a Deo ſit, eam eſſe debere, quae notiones obſcuriores rationis uſu comparatas, claras efficiat, atque perſpicuas* „ (1) idemque paulo poſt affirmat „ *praecipere nobis, ut rationem, atque intelligentiam ipſi noſtram ſubjiciamus, perinde eſſe ut Auctorem ipſius rationis graviſſima injuria laedere* „ (2).

Quis non jure miretur, haec ab homine liberalibus exculto diſciplinis pertinaciſſime defendi, quae quam ridicula ſint, quam abſurda, homines etiam rudi minerva nullo negotio aſſequantur? Niſi forte dicas, haec ipſa Scriptorem prodere, qui ſcilicet hominibus nobiliſſimam quamque ſcientiam eſſe prorſus inutilem, etiam edito libro (3) pugnare non dubitaverit. Etenim haec ipſa videntur hominis eſſe, qui numquam ſubliniores artes, ac facultates fuiſſet tantopere contempturus, ſi potius ad haec liberaliſſima ſtudia, quam ad alia quaedam non ita neceſſaria animum adjungere voluiſſet.

Neque tamen ea in re leviſſimus homo ſibi perpetuo conſtat. Quam enim rationem tantopete laudat, in uno ex iisdem libris ita de-

pri-

(1) *Emile To. III. p. 137.*
(2) *Emile To. III. p. 139.*
(3) *Diſcours ſur l' Inutil. de les Sciences.*

primit, ut in caſtra Pyrrhonis tranſiturus eſſe videatur. Nimium enim, ac ſaepius ab eadem nos falli dolet, ut propterea, cum illa quidpiam loquitur, aſſenſum cohibere, vel etiam denegare jure poſſimus. (1) Idem in toto naturalis Religionis negotio intimum, quem vocat, ſenſum ipſi rationi anteponendum eſſe docet (2). Idem Attributorum, quae Deo ineſſe putat, Sapientiae, Potentiae, Bonitatis nullam a nobis ideam, ut ait, abſolutam efformari, quin et de iis nihil dici, quod quale ſit affirmari poſſit, valde conqueritur; quin et Dei Naturam, quo magis conſideretur a nobis, eo minus percipi, ornatiſſimis verbis idem fateri non dubitat (3). An haec omnia non idem ſonant, ut multa credenda a nobis eſſe, quae non ſatis clare percipiantur, quorum perſpicuae nullae notiones in mentibus noſtris exiſtant, quarum rationes ac modos non aſſequamur? Ea vero ſi ſemel concedat, quid eſt, cur ea loquenti Deo credere non poſſimus, cum propter alias rationes non ita validas, non ita manifeſtas, et credere, Ruſſojo auctore, poſſimus, et debeamus? Aut quid eſt, cur ipſe Deus aut per Prophetas, aut per Apoſtolos hujuſmodi res obſcuras atque difficiles docere non poſſit, cum per ipſum rationis lumen, aut per intimum illum ſenſum neſcio quem, teſte eodem Ruſſojo, et docere poſſit, et doceat?

Ni-

(1) *Emile To.* III. *p.* 91.
(2) *Emile To.* III. *p.* 39.
(3) *Vid. Emile To.* III. *p.* 88. *Lettr. a Monſ. Arch. de Paris p.* 54. *et alibi.*

Nimirum, ſi vera ſunt, quae diximus, quae Ruſſojus ipſe diſerte fatetur, multa eſſe, quae mens humana ſatis aeſtimare nequeat, verum et illud erit, multa ſcire Deum, quae Homo prorſus ignoret, atque adeo ipſi Homini, ſi quiſpiam affirmaret, incredibilia viderentur. Jam vero quaenam eſse vel ſingi cauſa poteſt, quamobrem Deus plurima hujuſmodi vera hominibus detegere nequeat, eisdemque praecipere, ut, quae non ſatis intelligunt, ſibi tamen dicenti credant, qui videlicet neque falli poſſit, neque fallere? An Deus non eſt eo dignus obſequio? An dicentibus credere vel ipſis hominibus res eſt inuſitata, difficilis, aſpera, contraria naturae? An vel ipſi homines multa diſcipulos docere non ſolent, quae nondum iſti ulla ſcientiae comprehenſione teneant? An utilitas omnino nulla in iis credendis eſſe poteſt? An ea credere indecorum eſt? an malum? an omnino fieri non poteſt? Neſcio quo ſe vertant hoc loco adverſarii. At certe, quocumque ſe vertant, et cum perſpecta ratione, et cum ipſa magiſtra rerum experientia illorum pugnabit oratio.

Illi quidem lapidem omnem movent, ut Myſteria Chriſtianae Religionis nullo modo inter vera haberi poſse demonſtrent. Hoc praecipuo loco ſeſe efferunt, hoc magnos animos tollunt, ac nobiliſſimum ſibi triumphum ab eversa, de quo gloriari ſolent, ſuperſtitione pollicentur. At vel hinc ipſorum conatus ita debiles eſse, nihil ut de-

debilius fingi poſſit, ſapiens lector agnoſcet. Si enim hac ipſa in re nihil afferunt, quod hominem a mediocri ſapientia commendatum movere poſſit, et in quod Horatianum illud apte non cadat:

„ *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus,*

quid in aliis locis, in quibus et ipſi timidiores, omnia reſpicientes, omnia circumſpectantes videri volunt, futurum exiſtimamus?

Sed iterum Ruſsojum ipſum audiamus, cui primas concedere philoſophos, ſi tamen philoſophos, ex eo genere univerſos, aequum profecto eſt. „ *Deus*, inquit ille (1), *quem colo, non eſt tenebrarum Deus. Non ille me ratione inſtruxit, quo, ut ego ne ratione utar, interdiceret* „ Bene vero narras. At quid ad rem noſtram? An ſi Deo loquenti aliquid credo, quod mea ratio neque detegit, neque probe percipit, rationis uſu mihi interdicitur? Non video, qua ratione ſumat id Ruſſojus, quod exemplis innumerabilibus falſum detegitur.

Num ſi Magiſter aliquid diſcipulo verum eſse tradit, cujus iſte rationem nondum ita facile ſit percepturus, praecipit, ut ne ratione diſcipulus utatur ſua? Imo vero ideo tradit, ut ea magiſtro credens (id enim diſcentibus omnibus commune eſse debere, ſapienter Ariſtoteles monuit) et aliqua ſciat, quae non alia ratione teneat,

(1) *Emile To.* III. *p.* 139.

Digitized by Google

neat, et ex iis quaedam conſectaria deducat, quibus aut ad progreſsum in optimis diſciplinis, aut ad morum conformationem, aut ad alia quaedam juvetur; ut, cum ſua non poſſit, aliena fiat prudentia doctior, atque ſapientior. Si credat Magiſtro Diſcipulus, tunc ratione ſua vel maxime utitur. Id enim agit, quod ut agat, optima ratio omnino praecipit. Quis non videt, quam commode hoc exemplum in rem noſtram quadret? Quis enim dubitat, quin totius humani generis Magiſter Deus eſſe poſſit? aut, ſi poſſit, quin Magiſter talis ac tantus multa ſciat ipſe, ac diſcipulis tradere poſſit, quae nequeant ipſi per ſe ulla ſcientiae comprehenſione conſequi? Nonne ratio ipſa tunc praecipit, ut dociles Magiſtro ſapientiſſimo aures praebeamus? Nonne optimus hic futurus eſt ipſius rationis uſus?

Caeterum, ſi Ruſſojo concedamus, quod, modo rite explicetur, falſum haberi non debet, nullum, cum loquitur Deus, relinqui humanae rationi locum, quid tandem in ea ſententia eſſet abſurdi? Deus, inquit, me ratione inſtruxit. Non poteſt ergo Deus mihi praecipere, ut ratione non utar. Verumenimvero, quod ratione homo numquam utatur, non videtur ſapientiſſimus Deus poſſe praecipere: ſed, ut aliquando non utatur, praecipi, nimirum cum Deus ipſe aliquid monet, non magis abſurdum eſſe putandum eſt, quam praecipi, ut viribus homo ſuis, aut membris

bris certos quoſdam ad fines numquam abutatur. Et vires enim, et ipſa membra Homini a Deo donata ſunt. Si quid Ruſſoji ratio valeret, quidquid liberet, deceret etiam, neque finibus aliis voluptas, aliis honeſtas concluderetur. Quae cum dici ratio ipſa non ſinat, nullum acutiſſimi ſcilicet hominis argumento pondus ineſſe, ratio ipſa declarat. Verum his Ruſſoji nugis omiſſis, jam illa videamus, in quibus tum ipſius Ruſſoji, tum caeterorum Incredulorum maxime exultat oratio.

Quae de Deo, rebuſque divinis Chriſtiana Religio docet, eſſe, nedum videri ſanae rationi contraria, omnium Incredulorum communis calumnia eſt, quam non modo a Celſi, Porphyriique temporibus, verum etiam a ſuperioribus non abſurde repetas. Id ſumit Baylius, id Humius, id Bolingbrokius, id Chubbius, (1) id Voltaerius, Bulangerus, Mirabodius, id ipſe Ruſſojus, ut eamdem Religionem omnino perdant (2). Hic praeſertim, ut diximus, hoc loco ſe jactat, eaque profert in medium, quae mediocrium hominum mentes haud mediocriter commotura eſſe videantur.

 In-

(1) Quamvis hic librum ediderit, cui titulus „ *Verum Evangelium Jeſu Chriſti aſſertum a Thoma Chubb. ec.* „ non tamen audeat quiſpiam, niſi incautus, inter Chriſtianos numerare. Eo enim in libro, ut eſt in Actis Lipſienſibus „ *Trinitatem contradictorium, et repugnans dogma non tecte, ſed aperte nominavit, et omnia reverenda ſprevit myſteria, quia nullum in actione uſum habeant* „.

(2) Multus etiam eſt in hoc argumento auctor libri *La Religion eſſentielle*, quem confutat Gauchat *To. XVII. Lettr. Crit.* 173. et 174.

Interrogat enim, utri credendum ſit „ *Deone, qui per ipſum rationis lumen aliquid homines docet (neque enim alius quiſpiam per ipſum lumen docet) an tibi, qui Dei nomine abſurdum quippiam afferas, credique jubeas?* „ (1)

Idem alio loco (2) moleſtius proponit argumentum, quod et a Bulangero (3), et ab aliis impiis hominibus intorquetur. Si enim, ajunt, ſemel conſtituerimus, ab ipſa Ratione nos falli, non erit, cur iis, qui Chriſtianae Religionis veritatem Ratione cupiunt oſtendere, quidquam credere debeamus. Etiamſi nihil ad eorum argumenta reſponderi poſſet, ſuſpicandum nobis eſſet, ne Ratione ipſa, ſcilicet corrupta per Adae ſcelus, in fraudem inducamur. Hinc efficere ſe poſſe putant, ut nemo, qui leviter ſapiat, eam Religionem capeſſere debeat, ejuſdemque vereri Myſteria iis tenebris circumfuſa.

Haec argumenta, et alia ſimilia, quae noſtrorum temporum Increduli ſemper in ore habent, vereor, ut a Chriſtianis quibusdam Auctoribus ſatis apta ratione ſolvantur. Illi quidem rotunde negare non audent, Chriſtianae Religionis Myſteria naturali rationi eſſe contraria; ſed eo convertunt orationem, ut loquentis Dei teſtimonium humanae ipſi rationi anteponendum eſse demonſtrent. Omitto Lutherum, atque Chemnitium, cum aliis ex eo genere hominibus, qui

ma-

(1) *Emile To.* III. *p.* 140.
(2) *Ib. p.* 142.
(3) *Chriſtianiſme Devoilé*.

Digitized by Google

magna animorum contentione, contradicentibus aliis etiam ex eadem ſecta Theologis, diſputarunt, multa in Theologia falſa eſſe, quae vera ſint in Philoſophia, multa a Chriſtianis, quae contra rationem ipſam pugnent, eſſe credenda Myſteria. Omitto Baylium, quem qui probe novit, inter Chriſtianos eſſe numerandum aut aegre, aut nullo modo concedet. Hac etiam aetate vir pius, idemque doctus, in Gallia Sinſartius hac in re Baylio ita conſenſit, ut ejus etiam argumenta, rationeſque deſcriberet (1). Et multos quidem ille tum e Proteſtantium coetu Scriptores, tum ex Eccleſia Catholica citat pro eadem ſententia teſtes. Verum ii, ſi diligenter eorum verba perpendantur, non aliud volunt, niſi, cum Deus loquitur, non eſſe rationem ipſam conſulendam, quaſi ejus judicium eſſe debeat, quid ſumere, quid rejicere debeamus. Quod ſenſerit iſta Sinſartius, haud equidem valde miror. Neque enim ille ab ingenio, aut Dialecticae uſu aeque ut ab eruditione quadam, aut recentiorum lectione Scriptorum commendari poteſt. Bergierium valde miror ad hanc ſententiam deflexiſſe, cujus ingenium atque doctrinam ſatis laudare nequeo; quem cum antiquis illis Eccleſiae Chriſtianae Pa-

(1) *Vid. Differt. cui tit. „ Diſſertation dans laquelle on examine ſi la raiſon eſt un juge compétent pour prononcer ſur les matieres revélées ec. „ Praefigitur ejus opuſculo cui tit. „ Defenſe du Dogme Cathol. ſur l' Eternité des peines ec. „*

tribus, atque Doctoribus contra Ethnicos decertantibus comparandum exiſtimo.

Sed hac in re fortaſſe aliquid humani paſſus eſt. Cum enim Baylii verba recitaſſet (1) teſtimonium Dei hominum teſtimonio praeferentis „ *eam ſe rationem ſequi, neque in verbis moroſum eſſe velle* „ ſignificat. „ *Non tamen vituperare ſe quorumdam Theologorum Religionem, qui cum noſtra Myſteria fateantur ſupra rationem eſſe, non tamen contraria eadem rationi videri concedunt*. „ Iis ea jungenda ſunt, quae ad epiſtolae illius ad Ruſſojum datae calcem ſcribit: nimirum inter ipſam rationem, quae generatim atque univerſe, nec non eam, quae ſingillatim conſideretur, eſſe diſtinguendum. Illi, quae quidquid nobis evidens eſt, complectatur, Myſteria noſtrae Religionis numquam eſſe contraria: quippe cum Deo Myſteria nos edocenti credendum eſse ratio ipſa moneat: at huic rationi, ſcilicet principio alicui, vel pronunciato, aliquando eadem contraria videri.

Pugnat autem in eadem epiſtola exemplo hominis, qui coecus natus fuerit. Huic enim ſi narres, aliquam eſſe ſuperficiem, quae, cum plana ſit, eadem profunditatis aliquid habere videatur, cujuſmodi ſunt Domuum aliquarum, vel Templorum facies, aliquid afferre videberis, quod ſuae ipſius rationi contrarium omnino ſit. Eidem non magis facile videbitur hominis vultum in ho-

(1) *Déiſme Confut, Lettr. I.*

horologii capſula pingi, quam quod in modio continetur in parva quadam olla concludi.

Haec Bergierius, quae non ſatis recte, certe non ſatis proprie ab eo dici, vel eodem ipſo coeci hominis exemplo declarari facile poteſt. Nego enim coecum, ſi ſapiat, ſuperficiem, quae profunditatis aliquid habere videatur, ſuis notionibus contrarium neſcio quid involvere, ullo modo dicturum. Notiones enim illae de rebus aut animo, aut ſenſibus, quibus idem homo viget, aeſtimandis aliquid monent. Quod pertinet ad oculorum ſenſum, hoc tantummodo monent: quae de auribus, aut de naribus, aut de manibus, vel palato dicantur, non continuo ad oculorum aciem poſſe transferri. Itaque ſuperficies, quae profunditatis neſcio quid habere videatur, non contra notiones, at ſupra notiones coeci hominis eſſe dicenda eſt.

Caeterum ipſe Bergierius in eo longe a Baylio diſtat, quod hic Myſteria Chriſtianae Religionis omnino rationi eſſe contraria, ille autem videri contraria ſoleat dicere. Jam porro, ſi Chriſtianos iſtos Auctores ſequamur, aliquid Incredulis reſponderi profecto poteſt. Quidquid enim ſtatueris, illud ſemper obtineat, neceſſe eſt: teſtimonium Dei loquentis teſtimonio rationis ipſius longe praeſtare. Illud enim infinita Sapientia, hoc finita, quin et vitiis et erroribus obnoxia nititur.

At

At multo melius mihi res proceſsura videtur, ſi, quod D. Thomas, et graviſſimi cum eo Theologi docuerunt, non contra, ſed ſupra noſtram rationem eſse myſteria, firmius atque conſtantius defendamus. Praeſtitit id egregie Leibnitius in libro, quo, ſi pauca de nas Lutheranae Sectae propria, vix aliquid abſolutius, atque perfectius excogites. Eum ita ſequar hoc loco ducem, ut et quaedam addam, niſi fallor, majorem lucem allatura.

Rationis ipſius nomine duo praeſertim hoc loco poſsunt intelligi, alterum eſt, *ipſe ordo, atque nexus aeternorum verorum*, in quo Leibnitius ipſe rationem poſitam putat; alterum eſt lumen quoddam intelligentiae a Deo inditum, quo fit, ut vera ipſa diſcernamus a falſis. Nam et hoc lumen per latinam conſuetudinem *Rationis* nomine intelligi, neque Leibnitius, neque alius quiſpiam negare poteſt. Jam Ordini aeternorum verorum contraria eſſe noſtra Myſteria, quis negare audeat, modo Myſteria ipſa vera eſſe conceſſerit? Neque etiam uni, aut alteri hujuſmodi Vero ſingillatim conſiderato ea contraria dicenda ſunt. Verum enim Vero contrarium eſſe nequit. Id ſi negaveris, Falſi notionem de medio ſuſtuleris. Quid enim Falſum eſt, niſi quod Vero contrarium eſt? Sed et ipſi noſtrae rationis Lumini oppoſitum, ſive contrarium Verum quodpiam nullo modo debet intel-

telligi. Ipſum enim Lumen a divina Sapientia neſcio qua ratione dimanat. Igitur ſi Vero cuipiam opponitur, Vitium ipſum in Auctorem naturae, quod cogitare nefas eſt, refundendum eſſe videretur.

Eſt quidem, quod homines non raro clariſſimis etiam in rebus hallucinentur. Verum id totum eo contingit, quod hujuſmodi lumen aut illuc, quo volumus, duci non poteſt, aut aliquid ipſius claritati tenebras offundit, aut a nobis non, ut par eſt, adhibetur. Errores enim omnes peculiaribus quibusdam a cauſis oriuntur, de quibus fuſe Dialectici. Nam et a ſenſibus hauſtae notiones rerum, atque in φαντασία receptae, et anticipatae quaedam opiniones, quarum etiam pondus, ut ita dicam, et vim non ſatis recte aeſtimamus, et praeceps quaedam definiendi, aut judicandi ratio, atque alia ſimilia quaedam errandi nobis occaſionem non raro praebent. Haec omnia perexiguum eſſe noſtrae rationis lumen, neque omnia nobis demonſtrare, quae nobis uſui forent, liquido probant. Sed aliud eſt, perexiguum eſſe, aliud veritati contrarium; aliud quod multa vera aut nullo modo, aut non ſatis oſtendat, aliud, quod etiam, quae falſa ſunt, vera eſſe nuntiet. Ita ſtellarum connubia nocte fulgentium lumen exiguum eſſe dicimus, et ad ipſum ambulantibus, ubi Luna ipſa deficiat, non raro contingit, ut lapſum in via vel errorem cavere non poſſint. Numquid tamen hujuſmodi lapſus

aut

aut error ipſi lumini ſtellarum, et non poti aliis quibusdam cauſis, modo recte, ac proprie loqui velimus, eſt tribuendus? Imo vero lumen ipſum, et viam tantiſper illuſtrat, et quo tibi ſit eundum, aliquo modo detegit. Quod aliqua non oſtendat, aut non ſatis oſtendat, atque hinc errandi tibi enaſcatur occaſio, mancum illud ac debile dicturus es, non falſum, non cum tenebris confundendum, non iis, quae ſunt in via, neque a te conſpiciuntur, oppoſitum, atque contrarium. Simile quid in re noſtra contingere, ſapiens quiſque lector jam facile percipit.

Quae cum ita ſint, ſapientiſſime Theologi, quos Baylius eo carpit, quod non ſatis intelligere poſſit, aut nolit, quidquid verum eſt, cujuſvis ordinis, id contra rationem eſſe negaverunt. Nimirum, ut dixi, aliud eſt contra, aliud ſupra rationem eſſe. Illud eſt, quod ratio ipſa verum haberi non ſinit, quod falſum eſſe clamat, quod abſurdum, quod veris aut omnibus aut aliquibus ſibi cognitis omnino adverſari contendit. Hoc eſt, quod ratio ipſa ſupremi cujuſdam ordinis eſſe monet, ad quem ipſa videlicet nullo modo pertineat, quod oſtendere, quod probare ſuis ipſa concluſionibus, argumentiſque non poteſt, quod cur aut quomodo verum ſit non ſatis intelligit, quod uno verbo tale eſt, ut nihil ipſa de illo, niſi teſtimonio ejus, cui credere debeat, fuiſſet edocta, ſuſpicaretur. Hujuſmodi Myſteria eſſe Chriſtianae Religionis defen-

fen-

ſendere omnino debemus, quicumque vera eadem eſſe exiſtimamus.

Atquì ſaltem, ais, quae ſupra noſtram rationem eſſe omnes concedunt, eadem rationi videntur oppoſita. Videtur enim rationi falſum, quod, niſi Deus locutus eſſet, illo modo verum haberetur. Ut aliquid tibi largiar, diſtinctione mihi opus eſt. Si prima, ut ita dicam, fronte rationi contraria Myſteria dici poſtules, haud equidem repugnabo. Idem non invitus concedam, Myſteria iis oppoſita, vel contraria videri, quae non proprie vera, ſed veri quodammodo ſimilia dicimus. Ea nimirum ſunt, quae plerumque hoc ſeſe habent aut illo modo, atque hinc etiam in re, de qua forte agimus, hoc aut illo modo ſe habere, non abſurda conjectura eſt. At vero Myſteria naturali rationi, de qua locuti ſumus, conſtanter ac ſemper videri contraria, etiam poſtea quam ipſa ratio, ut ita dicam, ſeſe collegit, etiam poſtea quam rem totam diu multumque verſavit, id enimvero concedere nullo modo poſſum.

Haud equidem dubito, quin Myſteria credenda eſſent, etiamſi rationi contraria perpetuo viderentur. Tunc enim locum haberet, quod Bergierius tantopere urget, teſtimonium Dei multo pluris, quam rationis ipſius, eſſe faciendum. At eo modo contraria videri nego, quod revera eo modo contraria non eſſe mihi videantur.

Quod ut melius intelligatur, illud probe tenendum eſt: argumenta, quae tantum probabilia ſint, non autem prorſus evidentia, minime ſufficere, ut aliquid rationi omnino contrarium videri poſſit, aut dici. Semper enim hujuſmodi argumenta relinquunt alicui ſuſpicioni locum, ne forte res aliter ſeſe habeat, quam ipſa concludant. Semper ea poteſt adhiberi iis argumentis exceptio: dummodo ne validior aliqua ratio, praeſertim ſapientiſſimi Dei teſtimonium, contrarium aliquando ſuadeat. Itaque argumenta illa dumtaxat, quae *demonſtrativa* dicimus in ſcholis, efficere poſſent, ut contraria dicenda eſſent rationi Myſteria. Id ſi ita eſt, jam argumenta *demonſtrativa* contra Chriſtianam veritatem afferri, dicant, oporter, adverſarii. At quod argumentis *demonſtrativis* urgetur ac premitur, quis verum eſſe, dicere audeat? Falſum enim evidenter eſt, quod non eſſe verum argumentis *demonſtrativis* oſtenditur.

Itaque Chriſtiani omnes ab ea loquendi ratione abſtinere debent, et eo potius animum, ac vires ingenii convertere, ut argumenta, quae vere *demonſtrativa* ſint, aut perpetuo videri debeant, contra Sanctiſſimae Religionis dogmata proferri negent. Id ſuis in libris egregie plures Theologi Scholaſtici praeſtiterunt, quorum plura plures philoſophi recentiores non raro carpunt, quod pauca ſatis intelligant. Caeterum hic alia quaedam notanda ſunt, quae contra

Bay-

Baylium Leibnitius eo libro, quem dudum laudavimus, egregie perſecutus eſt. Aliud eſt naturalibus aliquid rationibus probari, oſtendique verum: aliud percipi, qua ratione ſit, aut ſeſe habeat: aliud argumenta ſolvere, quae contra ipſum afferuntur. Priora illa duo, ſi de Myſteriis Chriſtianae Religionis procedat ſermo, a nobis praeſtari nequeunt. Sed tertium illud praeſtari non poſſe, ii tantum dicent, qui veritas ipſa, qui ratio ipſa quid ſit, aut quid valeat, non ſatis advertunt. Quod enim poſt Baylium Ruſſojus non ſine magna ſcripſit inconſtantiae nota (1): contra quaslibet differentium rationes (*Syſtemata* vulgo appellamus) aliqua poſſe proferri, quae nequeant ſatis apte ſolvi, neque tamen quidquam efficiant, inconſiderate dicitur.

Pronunciata, ſcilicet ἀξιώματα, rationis vera ſunt: ergo non ſunt vero contraria: ergo nullum verum, eſſe idem falſum, oſtendunt: ergo, ſi contra verum afferuntur, ipſa per ſe nihil efficiunt: ergo aliquod in ipſo argumento vitium eſt, quod cur detegi ab homine ullo non poſſit, etſi Myſteria, contra quae argumentum affertur, non prorſus animo comprehendat, profecto non video.

Sed jam orationem ad unum, aut alterum exemplum ab hac differendi ſubtilitate traducamus. Ajunt Myſterium Sanctiſſimae *Trinitatis*

(1) *Emile To.* III. *p.* 30.

rationi videri contrarium. Afferunt in hanc rem tritum illud „ *Quae ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe* „: Hoc pronunciatum veriſſimum clamant; quin ſanctiſſimae doctrinae prorſus oppoſitum ſit, aut videri debeat, ne dubitant quidem: confectum negotium putant.

Ita qui diſputant, ejus pronunciati vim non ſatis aeſtimant. Etenim, *quae ſunt eadem uni tertio*, *eadem eſſe inter ſe*, verum eſt, niſi ea diſtinctio, quae *virtualis* dicta eſt a Scholaſticis, aut ſimile aliquid, inter ipſa et illud tertium intercedat. Nam ſi intercedat, *eadem illa eſſe inter ſe* ſumere poteris, clamare poteris, verum probare non poteris. Cum haec audiunt plures adverſarii cachinnos tollunt; tum quid diſtinctio ſit iſthaec *virtualis?* interrogant; ne expectant quidem aliqui, dum ejus definitio tradatur; verba, inquiunt illa eſſe, quibus nulla ſubjecta poteſtas eſt. Verumenimvero diſtinctionem illam in rebus etiam creatis habere locum, ſubtiliſſimi plures D. Thomae diſcipuli opinati ſunt. Qui ab iis diſſenſere, plurimi diſtinctionem *formalem ex natura rei*, quae difficilius etiam intelligitur, induxerunt. Haud equidem iſtorum opinionibus faveo, neque obſcurum et exile probo diſputandi genus, cui ſapientiorum recentiorum clarae, diſtinctaeque notiones, et aptiſſima quaedam docendi ac diſcendi ratio multis partibus anteponenda eſt. Verum quis aequitatis ac veritatis amator non facile ſentiat, quae plures per aetates plures homines in-

genio

genio doctrinaque praeſtantes opinati ſunt, non eſſe humanae rationi prorſus evidenter oppoſita?

Caeterum Diſtinctio *virtualis* quid ſit, nulla ſatis apta ratione percipitur. At quod aliqua eſſe poſſit, ſaltem in altiſſimis quibusdam rebus, quae noſtrae intelligentiae notionem omnino fugiunt, non eſt evidenter abſurdum. Quaenam enim iſthaec in hiſce rebus dicenda eſt aliquid negandi ratio, quod non ſatis tibi perſpectum ſit, aut eſſe poſſit? Utere, per me licet, iſta ratione, cum de rebus inſtitutus eſt ſermo, quae tuos in oculos incurrunt, aut in ſenſus caeteros, aut facilius ipſa tuae mentis acie luſtrantur; ut quid illae petant, a quo refugiant, quid ſuſtineant, quid abnuant, dijudicare aliquo modo poſſis. At, ſi hanc ipſam rationem ad res tuo numquam animo comprehendendas transferre velis, nonne id agere videberis, ut, quod ſcientia te complecti non poſſe fateris, eadem ſcientia aeſtimes atque metiaris? Ita fit, ut vides, ut ipſa ratio moneat, pronunciatum illud „ *Quae ſunt eadem ec.* „ cum de Natura Perſoniſque Divinis agitur, nullum habere locum. Quamobrem non illi contraria ſanctiſſima Chriſtianorum doctrina dicenda eſt.

Facilius autem ſolvitur argumentum a Ruſſojo magna confidentia propoſitum. In litteris enim, quas diximus, ad Pariſienſem Archiepiſcopum datis aperte pugnat, pronunciatum illud *Totum eſt ſua parte majus* doctrinae Catholicorum, quae Chriſtus in ſacratiſſima illa coena ſuum

ſuum ipſe verum corpus, et idem integrum in manus ſumpſerit, atque etiam per os in ſtomachum immittere potuerit, eſſe omnino contrarium. Non ita hebetem ſibi fingere debuit Ruſſojus adverſarium, ut nihil ei praeſto eſſet, quod ad iſta reponeret. Totum eſſe ſua parte majus, ſi tum ipſum Totum, de quo ſermo eſt, tum ipſa Pars naturali modo ac ratione ſint, nemo non ſentit. Sed Totum eſſe ſua parte magis extenſum actu (Theologorum enim vocibus hoc loco nos uti, res ipſa cogit) ſi Totum ſacramentali modo ſit, Pars autem naturali, Theologi negant. Nihil, inquit, in hac diſtinctione percipio. An aliquid me allaturum, quod ſatis ipſe perciperes, pollicebar? Sed tamen ego hic aliquid non clara quidem atque diſtincta, ſed obſcura certe ratione percipio. Nam rem, de qua loquor, ab omni re, de qua non loquor, neſcio qua ratione diſtinguo. Alia quaedam cum Catholicis Theologis in ea exiſtendi ratione video, quae nihil perſequi neceſſe eſt. Nunc enim ut ſubtilius agamus, et brevius agendum videtur, et preſſius. Eſſe aliquid, quod ego dico, Chriſtiana me Theologia docet. Tu qui nihil eſſe vis, idoneis, quod vis, argumentis oſtende. Numquam oſtendes. Quas enim a ſenſibus hauſiſti, aut alia ratione collegiſti, ſive explicaſti notiones, huc nullo modo pertinent. Quamobrem quae ratio efficit, ut res, de qua loquimur, ſatis perſpecta tibi eſſe non poſſit,

ca-

eadem efficit, ut nullum contra ipſam argumentum, quod jure *demonſtrativum* appelletur, a te poſſit excogitari.

Eſt autem alia ratio Ruſſoji argumento reſpondendi eorum, qui negant ad Eſſentiam Corporis id quod *Extenſio* dicitur *actualis* proprie pertinere. Etenim non eſſe dicunt, cur illa divinitus a corpore quopiam non poſſit auferri. Id autem in eo Myſterio contingere, in quo majus aliquid Bonitaſne praeſtet an Potentia Dei Opt. Max. non ſine magna ratione dubites. Quod ſi contingit, quid pronunciatum illud *Totum eſt ſua parte majus* hoc loco Ruſſojus ingeminat? Neque enim *Totum*, cui dempta ſit *actualis Extenſio*, Parte illa, cui dempta nulla ſit, majus, hoc eſt magis extenſum, dici vel fingi poteſt.

Similibus Incredulorum argumentis per ſimiles rationes facile reſpondetur. Similes autem rationes contra argumenta vere *demonſtrativa* nullae eſſent. Quis enim aliquid argumentis reſpondeat, modo illa perceperit, quibus aut de dimenſione quadrati, aut de lineis in circulo incluſis, aut de aliis hujuſmodi rebus tam pulchra Geometrae, ac tam utilia demonſtrant?

Sed jam illa ſolvamus, quae contra doctrinam hanc noſtram Baylius excogitavit; cujus omnia fere praecipua verba Sinſartius ſumma fi-

de

de ac diligentia deſcripſit. (1) „ *Si qua*, Sinſartius ait, *doctrina ſupra ipſam rationem eſt, ea eſt, ut ad ipſam facultas rationis nullo modo pertineat. Non poteſt ergo illuc pervenire ipſa ratio. Quare ne comprehendere quidem eam doctrinam poteſt.* „ Poteratis id, Baylii ac Sinſartii, ſumere. Quis enim id negabat? Sed quid inde concluditis? „ *Si nequit ratio*, inquiunt, *eam comprehendere, nequit in eadem aliquam ideam, aut aliquod principium invenire, unde, quae contra opponantur, ſolvi poſſint* „ Iſthuc autem non ſumere aliquid eſt, ſed rapere totum, de quo controverſia eſt. Quis enim id vobis ab iis, quae poſuiſtis, fluere ſua ſponte concedat? Quod comprehendi nequit, obſcura tamen aliqua ratione intelligi poteſt. At nihil intelligitur, cujus nulla prorſus animo efformetur notio. Jam ſi notio aliqua doctrinae, de qua loquimur, et quaerimus, non abſurda efformetur animo, cur ex eadem notione argumentorum, quae contra doctrinam eam nectantur ab adverſariis, ſolutiones, ac ſatis aptae reſponſiones peti non poſſint? Pergite porro „ *Hinc ſequitur, ut objectationes contra eam doctrinam inſtitutae non ſint reſponſionibus obnoxiae; aut, quod idem prorſus eſt, nulla poſſit adhiberi reſponſio, quin tam obſcura ſit, quam ipſa doctri-*

(1) *In Diſs.*, *de qua diximus*, *p.* 73. Iis conſentit etiam Voltaerius multis in locis, ut cum ait „ *Nos Myſteres ont beau être contraires à nos demonſtrations; ils n'en ſont pas moins révérés par nos Philoſophes Ch-tiens ec.* „

ſtrina, quae per easdem oppugnatur. Certum autem eſt, objectationem, cujus fundamenta ſint in diſtinctis notionibus, aeque invictam eſſe, ſive nihil reſpondeas, ſive id reſpondeas, quod nimirum, quid, aut quale ſit, nemo prorſus animo comprehendat. „ Illud ſequi non video: ſed hoc omittamus. Adverſarii certe rem totam, de qua loquimur, miſcent, atque confundunt. Itaque curandum nobis eſt, ut lector, quod hoc loco docemus, clara perſpicuaque ratione percipiat.

Reſponſio, qua ratio quaevis excipiatur, duplex eſſe poteſt. Aut enim rem totam, de qua vertitur quaeſtio, tam aperte planeque declarat, ut ejus naturam penitus animo percipiamus, aut ſaltem rationem ipſam ita infringit, ut quamvis ejusdem rei natura penitus a nobis percipi nequeat, nullum tamen eidem rationi pondus ineſſe, aut ad rem noſtram nullo modo facere intelligamus. Si probare mihi velis, nullum eſſe motum propterea quod Zeno, vir doctus in primis, de motu ipſo dubitare viſus fuerit, an ſatis aptam, ſatis validam rationem a te allatam fuiſſe quiſpiam dicet? Negabitis omnino vos etiam, contra quos inſtituta diſputatio eſt. Num tamen, ut hanc rationem infringam, atque diſſolvam, natura motus eſt explicanda? Id quoque negabitis, opinor. Satis enim erit, ſi nullum hac in re auctoritati Zenonis locum eſſe, neque hujuſmodi quaeſtiones unius aut alterius philoſophi ſententiis, at rationibus omnino aliis

dirimendas eſſe dixero. Poteſt igitur argumentum aliquod aptiſsima, clariſſimaque ratione ſolvi, ut non rei, de qua inſtitutus eſt ſermo, natura optime intelligatur, quin etiam, quod in eodem exemplo vides, ut non probetur a nobis, ut non qualis ea ſit, aut quomodo ſit, oſtendatur.

Haec ad Myſteria Chriſtianae Religionis facile transferuntur. Illa quidem nequeunt contra Incredulorum argumenta reſponſione ulla, quae ſit illius primi generis, apte defendi. At alterius generis reſponſiones neque ad haec tempora Chriſtianis defuere Scriptoribus, neque unquam deerunt; quantum animo conjicere nobis licet. Eae quidem reſponſiones eo clariſſimae dicendae ſunt, quod ut myſteriorum naturam proprietateſque non ſatis explicent, argumenta certe adverſariorum non eſſe *demonſtrativi* generis omnino perſuadeant. Eaedem enim clariſſime oſtendunt, non eſſe quorumdam pronunciatorum eam vim, ut ea ratione, qua forte intelliguntur ab adverſariis, revera intelligi debeant. Si majus aliquid molirentur, non eae reſponſiones ad adverſariorum argumenta, ſed naturales probationes Myſteriorum dicendae forent; ex quo genere nihil afferri, quod ſatis homini ſapienti faciat, ultro concedimus.

Ea vero, quae poſtremo loco Baylius ac Sinſartius effuderunt, quam abſurde dicta ſunt, quam imperite, quam ſine ulla cognitione Dialecticae di-

dicta videntur! „ *Non ſufficit*, ajunt, *obſcura reſponſio contra objectationem, cujus in claris diſtinctiſque notionibus fundamenta ſint*„. Primum qua ratione, ſaltem hac in re noſtra, dicendae ſint reſponſiones obſcurae, qua ratione eaedem clarae, ſatis explicatum eſt. Deinde quid vultis, cum argumenta, quae contra Myſteria Chriſtianorum inſtituuntur diſtinctis in notionibus fundari dicitis? An diſtinctis ipſa notionibus continentur, ut nihil in iis niſi perſpicuum ſit, niſi apertum ac planum, niſi, quod pertinet ad ipſam rationem, omnino evidens, atque verum? Ita dicatis, oportet, ſi quid dicturi eſtis. At omnino contra ipſam rationem iſta dicetis. Non enim quod veriſſima ſunt ἀξιώματα illa, quibus impii abutuntur, idcirco verum eſt ad rem noſtram ea poſſe transferri. Veriſſimum eſt: *Quae ſunt eadem uni tertio eadem eſſe inter ſe*: at falſum eſt hoc pronunciatum habere locum, ſi *diſtinctio* illa *virtualis* agnoſcenda ſit: falſum eſt, diſtinctionem hujuſmodi nullam in naturis homine longe praeſtantioribus agnoſcendam eſſe: denique falſum eſt, argumentum illud, in quo tam multa ſumantur, quae nullo modo concedi debeant, rite concludi. Non ergo ſatis eſt, quod aliqua in argumento quopiam clara notio includatur. Si ex multis partibus, ut ita dicam, fatiſcit, atque dat latus, nullius ponderis argumentum eſſe cenſebitur. Quare cur aliqua reſponſione, quae non omni ex parte clara ſit,

excipi nullo modo poſſit, omnino non video (1).

Haec omnia de Myſteriis Chriſtianae Religionis a nobis diſputata ad Attributum illud Dei, quod *Incomprehenſibilitas* dicitur a Scholaſticis, cum infinitae Perfectionis ipſa notione conjunctum, melius atque perfectius agnoſcendum haud leviter profecto faciunt. Alia de Infinita ipſa Dei Perfectione poſſent explicari, cujus nimirum id eſt vel maxime proprium, ut, cum plurima de ipſa dixeris, multo plura, quae dici poſſint, ſupereſſe neceſſario debeant. Sed modum aliquem huic diſputationi tandem imponi vel ipſa Philoſophia flagitat, quae plurima videlicet de ipſa Dei Opt. Max. natura Theologiae Chriſtianae uberius, et accuratius explicanda relinquit. Hac praecipue de cauſa multa, quae ad Concurſum Dei cum Cauſis ſecundis, et ad affinia quaedam argumenta ſpectant, aut nullo modo in hoc opere, aut leviter dumtaxat attingenda eſſe duximus.

(1) Hinc facile alia ſolvuntur, quae Baylius habet hac in re magis copioſus auctor, quam accuratus, ut cum ait (*Reponſe aux queſtions d'un Provinc*. p. 652.) „*Dès qu'un dogme eſt au-deſſus de la raiſon, la Philoſophie ne ſçauroit ni l'expliquer, ni le comprendre, ni repondre aux difficultes, qui le combattent* „ *et alia ſimilia infra*.

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

QUanti referat peculiarem de Infinita Dei Perfectione inſtituere tractationem oſtenditur, et quid eo nomine veniat explicatur. Pag. 1.
CAPUT II. De Potentia, et Sapientia Dei agitur, quae in creatis rebus elucent, et contrariae quaedam ex Epicuri doctrina petitae ratiunculae convelluntur. 5.
CAPUT III. Eamdem Dei Potentiam, eamdemque Sapientiam, eſſe prorſus infinitam oſtenditur. 24.
CAPUT IV. Infinitas Divinae Perfectionis ex Infinitate Sapientiae, atque Potentiae demonſtratur, ac Bolingbrokii Moralia Dei Attributa negantis confutatur impietas. 30.
CAPUT V. Rationibus etiam, quae vocantur a priori, contra Samuelis Clarkii ſententiam eſſe Deum infinite perfectum ſatis apte concluditur. 38.
CAPUT VI. Fauſtus Manichaeorum ſui temporis princeps de Infinita Dei Perfectione detrahens confutatur. 47.
CAPUT VII. Confutatur inſania Conradi Vorſtii. 51.
CAPUT VIII. De iis, quae Athei recentiores, praecipue Mirabodius, contra infinitam Dei Perfectionem objicere conſueverunt. 54.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX. *Ex infinita Dei Perfectione ipſius divinae Naturae definitionem rite deſumi, et male Nevvtonum, Deitatem ipſam divina Dominatione conſtitui, docuiſse.* 60.

CAPUT X. *Confutatur Baylii temeritas poetam Simonidem ex eo laudantis, quod non poſſe Deum ullo modo definiri, arbitratus fuerit.* 73.

CAPUT XI. *An argumentum Carteſii, quo, Deum a notione quam habemus, Entis infinite Perfecti eſſe conatur oſtendere, validum cenſeri debeat?* 84.

CAPUT XII. *Pulchritudo demonſtratur, quam infinita Dei Perfectio infert; nec non Verneji ſententia confutatur: Pulchritudinem de rebus corporea mole carentibus, proprie loquendo, praedicari non poſſe.* 91.

CAPUT XIII. *Unitas Dei reprehenſis quibusdam Incredulorum erroribus, aut calumniis, nec non quibusdam optimorum quoque Scriptorum rationibus rejectis, ex infinita, de qua diſputamus, ejusdem Perfectione oſtenditur.* 106.

CAPUT XIV. *Manichaeorum error de duobus Principiis a Baylio defenſus ex infinitae Perfectionis notione confutatur, ac Baylii rationes infringuntur.* 119.

CAPUT XV. *Perfectiſſima Dei Providentia probatur, et contra eam impie dicta confutantur.* 130.

CAPUT XVI. *Ad Perfectiſſimam Dei Providentiam oſtendendam non eſſe doctrinam, quae di-*

Digitized by Google

dicitur Optimiſmus, ullo modo neceſſariam, efficitur, quin et eamdem doctrinam omnino falſam eſſe demonſtratur. 144.

CAPUT XVII. *De Libertate, quam ſumma Dei Perfectio neceſſario infert.* 159.

CAPUT XVIII *De quibusdam aliis Attributis Dei cum infinita ejus Perfectione connexis agitur, ac multis recentiorum plurium Incredulorum argumentis reſpondetur.* 172.

CAPUT XIX. *Deum infinite Perfectum ab humanis mentibus comprehendi non poſſe oſtenditur, quibusdam veterum Haereticorum erroribus confutatis.* 188.

CAPUT XX. *Creatas quaslibet mentes quovis lumine illuſtratas Dei Naturam perfecte comprehendere non poſſe probatur.* 198.

CAPUT XXI. *Quomodo ſint intelligendae quaedam de hoc Attributo Dei loquendi rationes, quibus impii abutuntur, breviter contra Baylium oſtenditur, ac praeterea Bulangeri, nec non Mirabodii temeritas coërcetur.* 202.

CAPUT XXII. *De conſectariis quibusdam ejus doctrinae, quam expoſuimus, a ſumma Dei Perfectione manantis contra temeritatem Incredulorum, qui Myſteriis omnibus revelatae Religionis ſidem denegant.* 210.

CAPUT XXIII. *Rationes, quibus recentiores Increduli, praecipue Ruſſojus, ſpernunt Myſteria, quae diximus, confutantur; eademque Myſteria non contra, ſed ſupra humanam eſſe Rationem, oſtenditur.* 219.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
18. ſibi	ibi
28. nationes	notiones
34. illa	illae
61. κ7	καὶ
124. Proemio	praemio
16[illegible]. intelligentis	intelligentiis
168. inconviens	inconveniens
208. exiſtimare	exiſtimari
221. quarum rationes	quorum rationes
230. negare audeat	negare non audeat
233. illo modo	nullo modo

Reliqua ingenuus lector per ſe facile corriget.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google